


N^bb 32.

N^bb, 32.



Q. D. B. V.

PELAGIANISMVM IN ECCLESIA ROMANA

PER BVLLAM ANTI-QVESNELLIANAM
DIE VIII SEPTEMBR. A. M D CC XIII
A CLEMENTE XI. R. P. PROMVLGATAM
TRIVMPHANTEM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCipe AC DOMINO
DOMINO
GVLIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IULIAE, CLIVIAE AC MONTIVM, ANGA.
RIA ET WESTPHALIAE, RELIQUA
PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO
TH. D. ET P. P. O.
SERENISSIMO DVCI SAXO-HILDBVRGHVSANO A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
CIVIVMQVE GOTHANAE AC ALTERNBURGENSIS DITIONIS IN ACA.
DEMIA IENENSI INSPECTORE
PATRONO, FAVTORE AC PRAECEPTORE, AETERNVM COLENDO
DISSERTATIONE HISTORICO- THEOLOGICA
EXHIBET, EAMQVE
DIE I. DECEMBER. CLO IO CC XIV
ERUDITORVM EXAMINI SVBIICIET
AVTOR RESPONSVRS.
M. IO. FRID. ERKENBRECHER,
MEININGENSIS,
I E N A E
TYPIS MULLERIANIS.

XII. Octo. 1861. II. Co. 1.

PER ALGIANISUM
IN ECCLIASIA ROMANA

TER BALM ANTICISILLIANA

A CLIMENTE XI. P. PROMULGATA

TRIUMPHANTES

REGALIS OCTOVAE MUNDICENSIMO

SEPT. VASCO AVVAT. AD DVNAM

DOMINO

GAIETE MELITICO

KEN. PR. FR.
UNIVERS.
ZU HALLE

IO. ERAN

PATRONO, PATRONE, PATRONE, ALTARINI CONDIDE
DISSEMINATIONE HEDO ADO. THELOGICAY

DEA. DEA. DEA. DEA. DEA.

HEAVY TOWER EXAMINIS SANCTI

W. IO. LUD. ERCKENREICH.

THESS. MARTINUS.

A
SON ALTESSE SERENISSIME MONSIEGEVR
MONSIEGEVR

ERNEST LOVIS

DVC DE SAXE, IVLIERS, CLE-
VES ET MONS, ANGRIE ET VVEST-
PHALIE, LANDGRAVE EN THV-
RINGVE, MARGGRAVE A MISNIE,
PRINCE DE HENNEBERG, COMTE
DE LA MARC ET RAVENSBURG,
SEIGNEVR DE RAVENSTEIN, GE-
NERAL ET GRAND MAITRE DE L'
ARTILLERIE DE SA MAIESTE IMPE-
RIA LE ET DV SAINT EMPIRE

MON TRES CLEMENT PRINCE.

MONSEIGNEVR
MONSIEUR
HERNEST LOUIS

DAC DE SAXE, LITTERS, CLE-
AES ET MONS ANGRIB ET AVES-
IAHIE, TUNDGRAVE IN THA-
RINGAE, MARCGRAVE A MIRINNE
PRINCE DE HENNEMING, COMTE
DE LA MARC ET RAVENSBURG,
SEIGNEUR DE RAVENSTEIN ETC.

JE doute, si les personnes de la Cour & celles
qui sont élevées aux emplois de l'état aprou-
veront tout à fait la hardiesse que j' ai prise de
mettre l' Auguste Nom de V. A. S. à la tête
d' un écrit qui ne contient que l' histoire & la
réfutation des sentimens erronés d' une dispute
papale. Elles conviendront cependant unani-
mement avec moi qu' il n' y a aucune person-
ne

ne au monde à qui je doive plus de respect qu'
à V. A. S. & qu' il vaut mieux le Lui temoi-
gner, quoique d'une maniere très imparfaite,
que de l'enfouir sous un éternel silence. La
réconnoissance que chaque fidele sujet doit à
V. A. S. n' étant pas le seul motif qui m' y en-
gage , mais sur tout encore le soin particulier
que Vous prenez de la jeunesse qui destine la
fleur de son âge à l' étude des belles lettres.
Tout cela ne fauroit absolument me dispenser
de Vous faire un sacrifice de mes fruits acade-
miques. Comme donc non seulement toutes
ces raisons , mais encore plusieurs autres de cer-
te nature m' obligent à rendre selon mon pou-
voir à V. A. S. des marques d' un coeur veri-
tablement reconnoissant , ainsi Votre grande
Générosité , qui reluit dans toutes Vos actions &
qui toutefois agrée des choses de moindre con-
sequence , me promet que V. A. S. jettera un
oeil favorable sur mon petit travail. Quand
même ausi j'aurois le bonheur de mettre de-
vant Vos Yeux en toute soumission & sotto Vo-
tre protection un ouvrage de considération , &
même ausi parfait qu' on pourroit se l' imagi-
ner, Vous lui feriez infiniment plus d'honneur

que

LEVI(3): (EDERIC ERGENRECHER)

que Vous n' en retireriez , car il ne se peut rien ajouter à l' éclat & à la splendeur dont Vous êtes environné quoi qu' on employât pour y réussir. C' est pourquoi j' espére & je prie de toutes les puissances de mon ame , de ne prendre ma hardiesse que comme une marque de mes très humbles respects & obéissances. Je me contenterai à présent d' adresser mes Voeux en toute humilité au Ciel pour la prospérité de Votre Serenissime Maison , qu' il lui plaît Vous conserver une longue suite d' années pour le bien & pour l' avantage de tous Vos sujets , entre lesquels il n'y en a point qui soit avec un plus profond respect

DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

Iens, le 9me Novembre

1714.

auquel Votre Yéte et toute sonce de la Courtoisie & le plus fournis & le plus obéissant
du Roi de France auquel il a été nommé le 1^{er} Mars
dne JEAN FREDERIC ERCKENBRECHER.



Σύνοψις.

Romanos pontifices falli non posse, frustra assertur, §. I. Secus se rem habere, hodierni pontificis, Pelagianismum, dogmata illi opposita dammodo, adprobantis, exemplum ostendit; instituta ratio; §. II. Pelagianismi in ecclesia Romana prima origo a Io. Cassiano, §. III. cuius placita a nonnullis, qui semi-Pelagianorum nomine veniunt, fuerunt adprobata, & propagata, §. IV. ab aliis recte & refutata, §. V. Cassianum doctrinæ suae auctorem hodierni Pelagianismi in ecclesia Romana defensores non diffidentur; unde ipse errores suos accepit? §. VI. Propagatio Pelagianismi per Benedictinos, aliosque monachos, quibus Beda se opposuit, atque Anselmus, §. VII. Idem & Bernhardus, Claracuallenensis abbas, fecit, qui rectius, quam reliqui, de gratia ac libero arbitrio docuit, §. VIII. Quod & de Petro Lombardo ostenditur, §. IX. Per notios monachorum ordines, quos Franciscus atque Dominicus condiderunt, Pelagianismus incrementum cepit: ab eodem tamen recepsit, & rectiora reliquis ex Dominicanorum ordine docuit Thomas de Aquino; §. X. Iesuitis subinde a Dominicanis exprobatum, quod a doctrina Thomae de Aquino descuerint, §. XI. Io. Duns, Scotus, Thomas de Aquino se opposuit, & talia docuit, quae ad Pelagianismum proxime accidunt; inualescentem autem eo tempore inter monachos Pelagianismum refutarunt Thomas Bradwardinus, Gregorius Ariminensis, aliisque; §. XII. B. Lutherus, ecclesiae reformationem instituens, Scholasticorum Pelagianismum impugnat: controversia eius cum Erasmo, de libero arbitrio: defenditur contra Ludonicum Maimburgium; §. XIII. Quae in libro

libro Lutheri de arbitrio seruo desiderari soleant: diversa de eo
iudicia; defendi potest, & ab aliis re ipsa defensus est; B. Io.
Gerhardus simul, contra Melchiorem Leidekkerum defen-
ditur, §. XIV. In apologia Augustinae confessionis Pela-
gianismus Scholasticorum itidem reicitur; Philippus Mel-
anchton non satis hac in re sibi constitit: hinc synergistica in-
ecclesia nostra certamina, per formulam concordiae conspita; Iac.
Benigni Bossueti exprobationes & calumniae repelluntur; §. XV.
Romanae ecclesiae theologi, patresque Tridentini in doctrina de-
gratia & libero arbitrio, inter se non consentiunt: decretum con-
cilii istius, ambiguum conceptum, augendis contentiobus potius
quam componendis, inferuit; §. XVI. Origo & progressus con-
trouersiae de auxiliis gratiae inter Iesuitas ac Dominicanos, usque
ad mortem Clementis VIII. pontificis, §. XVII. Continuatio
eiusdem sub Paulo V. & quae deinceps circa eam usque ad no-
stram aetatem contigerunt; §. XVIII. Pater ex hac controuer-
sia, Iesuitas favere Pelagianismo, quod & subinde a Dominicano-
nis, in ipsis etiam congregationibus de auxiliis gratiae, illis ex-
probratum fuit: speciatim de Roberto Bellarmino, cardinali,
quaedam notantur, §. XIX. De Michaeli Baio, a quo Iansen-
iticarum controuersiarum origo arcessenda; §. XX. De Cornelio
Iansenio, eiusque libro, sub Augustini nomine edito; eum persua-
sum cupere lectoribus, quod nec cum Calvino, nec cum Luthero
faciat; §. XXI. Progressus Ianseniticarum controuersiarum us-
que ad mortem Innocentii X. pontificis; §. XXII. Continuatio
earundem sub Alexandro VII. §. XXIII. Quae sub Clemente IX.
& sequenti aetate bac in re contigerint, §. XXIV. Recentissimo-
rum in causa Iansenistica motuum, quibus nouum testamentum
Quesnelli occasionem dedit, brevis recensio, §. XXV. Iesuitas non
sine ratione a Iansenitis Pelagianisti reos agi, documentis qui-
busdam comprobatur; §. XXVI. Por bullam denique badierni
pontificis anti-Quesnelliaram, Pelagianismum in ecclesia Romana
palam triumpbare, evincitur, & dissertationi finis imponitur,
§. XXVII.

Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

§. I.



Rrare Romanos pontifices posse , etsi
qui illorum plane addicti partibus
sunt , negent , nemo tamen temere ,
nisi qui aut ex scripturae sacrae le-
ctione , aut historiarum monumentis
hospitem plane retulit animum , in-
ficiatus fuerit . Ad scripturam enim sacram quod atti-
net , vt de capite quodam ecclesiae , quod oculis mor-
talium conspici queat , deque vniuersi orbis christiani
episcopo , qui Christi seruatoris vices teneat , nihil quic-
quam tradit , ita multo minus illi , qui pro tali vicario
Christi orbisque christiani principe se gerit , eiusmodi
quid promisit , quod lapsus omnis atque errorum im-
munis esse debeat . Quae enim apostolis dicta sunt , vt
iis essent propria , non statim ad illorum successores
trahenda , multo minus illis tribuenda , qui pro aposto-
lica veritate grauissimos errores amplectendo , effecerunt ,
vt pro apostolorum successoribus neutiquam sint haben-
di . Sed historiarum idem , ecclesiasticorumque anna-
lium testantur monumenta . Ecquis enim est , qui igno-
ret , Arianorum erroribus Liberium , Pelagianorum .

A

fraudi-

fraudibus Zosimum, Monothelitarum commentis Honorium irretitum atque in transuersum actum fuisse. Veterem praeterea ecclesiam nunquam credidisse, Romanos episcopos extra erroris periculum constitutos esse, sed fuisse subinde, qui acriter iis contradicerent, eorumque decreta repudiarent, documentis plurimis comprobari posset, nisi ex instituto hoc praeter alios, & abunde fecisset IO. LA PLACETTE, reformatae ecclesiae haud incelebris doctor. *

§. II.

Suo vero etiam exemplo idem comprobare voluit CLEMENS XI. qui Romanae hodie ecclesiae praeest. Enim vero et si nemo illorum, qui extra Romanae ecclesiae pomoeria viuunt, dubitet, eum & errare posse, & reuera cum omnibus eius imperio subiectis in grauissimis erroribus versari: edita tamen anno proxime elapso, contra PASCHASII QUESNELLII codicem noui testamenti gallicanum, notis moralibus illustratum, constitutione, id effecit, ut apud eos quoque, qui Romanae ceteroquin ecclesiae sacris addicti sunt, approbatae palam Pelagianae haereseos suspicionem declinare nequeat. Inter propositiones enim Quesnelliarias ab eo damnatas, nonnullae ita comparatae sunt, ut damnari nequeant, nisi ab eo, qui Pelagianos aperte adprobat errores. Quod cum animaduerterem, aliter iudicare non potui, quam Pelagianismum iam pridem lacertos mouentem, sed repressum subinde, nunc demum ruptis velut vinculis

* in observationibus historico-ecclesiasticis, Amstaelodami
M DC XCV editis.

culis palam in ecclesia Romana , approbante ipsomet
 Pontifice, triumphare. Atque id paucis demonstrare
 animus est , minime autem , aut historiam huius rei
 pertexere , & quibus artibus ac machinationibus res
 eo tandem deducta sit , vt QUESNELLII nouum testamentum
 hac ratione damnaretur , exponere , aut cuncta
 quae in bulla Pontificis animaduersione digna sunt , o-
 stendere. Vtrumque enim ab aliis iam factum , scio ,
 speciatim a celeberrimo , summeque reuerendo academiae
 Tbingensis theologo , IO. WOLFGANGO IAEGERO , in-
 bulla nouitiae pontificis maximi Clementis XI. cum fulmine
 damnationis vibrata contra doctissimum virum P. Quesnel ,
 eiusque nouum testamentum , in quo damnatur catholica
 D. Augustini doctrina de letiali vulnere per lapsum toti gene-
 ri humano inflicta , atque efficacia gratiae Christi medicinalis
 exeritur , sub examen renovata : vt & a viro eruditissimo
 IO. FRICKIO , theologo Ulmensi , multis nominibus de ec-
 clesia pariter ac re literaria praeclare merito , in incle-
 mentia Clementis examinata , hoc est , bulla Clementis
 Papae XI. nuper aduersus P. Quesnellii obseruationes &
 meditationes morales in nouum testamentum protrusa cum
 fulmine , nunc recusa , locis scripturae sacrae & patrum
 ad latus appositis breuiter illustrata , tum gemina differ-
 entiae discussa , quam vt orbis eruditus aude expectauit
 haec tenus , ita non minori adplausu editam exceptit ;
 item a clarissimo doctissimoque viro , GOTLOB FRIDERI-
 CO IENICHEN , moralis & ciuilis philosophiae in acade-
 mia Lipsiensi professore dignissimo , in bistoria & exa-
 mine bullae anti-Quesnelliæ die VIII. Septembr. anno
 M DCC XIII. a Clemente XI. P. R. Romæ promulgatae .

Vt autem quae nobis constituta sunt, rite exequamur; primo de Pelagianismi in ecclesia Romana origine, tum de eius in eadem ecclesia progressu & fatis, tandem de victoria eius & triumpho per bullam Clementis XI. anti-Quesnelliānam, paucis, & eundo saltē per summa rerum capita, exponemus.

Ad originem itaque erroris Pelagiani in ecclesia Romana, quod attinet, mirum multis videri posset, qui fieri potuerit, vt in eam ecclesiam recipetur, in qua AVGVSTINI tanta semper auctoritas fuit, & veneratio, quem Pelagianis commentis omnium fortissime se opposuisse constat, adeo, vt nonnullis ab altero extremo, quod Praedestinatianorum est, parum interdum abesse videatur. Operae ergo pretium fuerit, paucis quo pacto res ista gesta sit, exponere. Cum Hipponensium praesul Pelagii dogmata strenue impugnaret, erant nonnulli, qui in doctrina de peccato originis cum eo consentiebant, at vt in iis quae de gratia docuerat, in eius plane concederent sententiam, a se impetrare non poterant. Hos inter familiam ducebat IO. CASSIANVS, vir literis & morum integritate illustris, quem ex Theodosia, Tauricae chersonesi vrbe oriundum, patria vero Atheniensem, cum Constantinopoli a IO. CHRTSOSTOMO diaconus creatus esset, circa annum CCCCX Massiliam venisse, duoque ibi condidisse monasteria vulgo tradunt. At de patria secus sentit, vir exquisitae doctrinae LVCAS HOLSTENIVS, in Galliis apud

Pro-

Prouinciam Cassianum ortum contendens. * Cuius sententiam calculo suo adprobat HENRICVS NORISIVS cardinalis. ** IO. CHRTOSTOMI clero adscriptum fuisse, certum est, quippe quod ipmet testatur, *** & testimonio suo comprobat GENNADIVS. * Mortuo autem anno ccccvii. Chrysostomo, Cassianus Byzantio descendens in Galliam se contulit, atque apud Massiliam sedem fixit. Ut autem iniquiori in Augustinum animo fuit, quod vel inde intelligitur, quod tacite operosas eius de gratia disputationes fugillet, ita & subinde de gratia diuina ita differit, ut a sententia eius haud obscure discedat. In *libris* namque XII. de *institutis coenobiorum*, ita aliquando hac de re verba facit, ut diserte contendat, posse nos bona opera humanis quidem viribus inchoare, at non sine diuina gratia eadem perficere. ** Idem ex opere, quod de *collationibus patrum* scripsit, & libris xxiv. complexus est, praesertim ex septem illis, quos ad Honoratum atque Eucherium misit, patet, quippe in quibus itidem initialem fidem liberi arbitrii viribus quandoque tribuit. ***

S. IV.

Vt autem CASSIANI ob eruditonem pariter ac eloquentiam, non minus ac ob vitae integritatem, magna apud multos fuit auctoritas, ita haud difficile illi fuit, & alios in sententiam suam pertrahere. Eundem itaque

A. 3 prae-

* cap. III. praefat. ad regulas monachor. ** bistor. Pelag. I.
II. c. I. *** lib. VII. de incarnat. cap. vii. * descrip.
torib. ecclesiast. cap. LXI. ** speciatim lib. XII. c. LIV.
*** cumprimis collat III. c. XVI. add. HENRICVS NO-
RISIVS I. c.

praeter reliquos Lerinenles monachos, quorum magna eo tempore fuit celebritas, cum inter eos viri essent eruditione praestantes, speciatim secuti sunt FAVSTVS, HILARIVS, VINCENTIVS Lerinensis, GENNADIVS Massiliensis, quibus nonnulli SVLPITIVM SEVERVM atque HONORATVM, Massiliensium episcopum, addunt. Et ad FAVSTVM quidem, quod attinet, is MAXIMI in abbatia Lerinensi primum ac postea in episcopatu Reiensi successor fuit; cumque in refellendo Praedestinatianorum errore & ingenium & doctrinam recte sentientibus probasset, dignus iudicatus fuit, qui synodi Lugdunensis contra illos habitae sententiam scripto consignaret, idque & in duobus *de gratia & libero arbitrio* libris praestitit, sed ita ut muneris sibi demandati limites excedens, ad alterum extremum deflechteret, Casianique iis insiceret errores. HILARIVS, non tantum quamdiu in Lerinensi monasterio vixit, candem cum reliquis monachis inflavit tibiam, sed ad Arelatensem cathedram anno CCCC XXIX promotus, praecipuus inter illos habebatur, qui in doctrina de gratia & praedestinatione ab Augustino discedentes, Casiani partibus fauebant. Purgare eum, equidem ab illo errore anmititur annalium ecclesiasticorum conditor CAESAR BARONIVS, * quem & alii magno numero sequuntur. At operam hosce oleumque perdere, ostensum luculenter est a viris doctissimis, ipso etiam NATALI ALEXANDRO ** atque HENRICO NORISIO. *** Pari ratione idem BARONIVS fallitur, dum

VIN-

* ad annum CCCXXVI. ** bish. eccles. soc. V. cap. III. p. 52.
*** bish. Peleg. lib. II. c. II. p. 107.

VINCENTIVM ex illorum classe, qui semi-Pelagianismo infecti fuerunt, eximit. In *Commonitorio* enim suo, quod reliquit, quodue praeter alios edidit, & cum Augustini libris de *doctrina christiana*, Helmstadii anno M DC XXIX recudi curauit GEORGIVS CALIXTVS, non tantum passim Cassiani se sectatorem prodit, sed Augustini quoque discipulos ut haereticos traducit. Immo huncce librum in odium Augustini sub ficto nomine *Peregrini*, in gratiam semi-Pelagianorum scriptum esse, recte docet GERHARDVS IOANNES VOSSIUS, * & agnoscit CORNELIVS IANSENIVS, episcopus Irenensis ** atque ANDREAS RIVETVS. *** Semi-Pelagianorum cohorti eundem adscribunt NATALIS ALEXANDER, * HENRICVS NORISIUS, ** aliique. Idem de GENNADIO MASSILIENSI dicendum, qui in suo *de scriptoribus ecclesiasticis* libro semi-Pelagianos laudibus, Augustinum vero eiusque defensorem PROSPERVUM dicteris excipiendo, immo ipsi Augustino errorem, & tantum non haeresin impingendo, satis, qualis esset, demonstravit. Sane quidem contra Pelagianos scripsit: id vero non obstat, quominus in quibusdam cum iis faceret, & in semi-Pelagianorum castris militaret, cum ipsum Cassianum acri odio Pelagianos prosecutum, constet. De SVLPITIO SEVERO, vel ut alii vocant, SEVERO SVLPITIO, dubitatur. Sunt enim qui eum semi-Pelagianis annumerant, quibus tamen obstat, quod GENNADIVS, quem ex illa cohorte

non invenimus nisi in libro de haeresi Pelagiana cap. XVII.

* *biflor. Pelag. lib. I. c. X.* ** *de haeresi Pelagiana cap. XVII.*

*** *crit. sacr. lib. IV. cap. XXIV.* * *bifl. eccles. sec. III.*

p. 52. ** *bifl. Pelag. lib. II. cap. XI. p. 155. seqq.*

fuisse demonstrauimus, Pelagianae haereseos notam illi inurere satagat, minusque de eo sentiat honorifice; quod non videtur facturus fuisse, si in eadem cum ipso fuisset sententia. Testatur enim eum *in senectute sua*
a Pelagianis deceptum, errorem postea emendasse, & agni-
ta loquacitatis culpa, silentium usque ad mortem tenuisse;
ut peccatum, quod loquendo contraxerat, facendo perire
emendaret. *** Ad HONORATVM denique Massilie,
episcopum quod attinet, qui in GENNADII catalogo
scriptorum agmen claudit, in eadem cum GENNADIO
sententia, hoc est semi-*Pelagianum* fuisse suspicatur
HENRICVS NORISIVS, * a quo dissentit NATALIS ALEXAN-
DER ** haud contemnendis, ut mihi videtur, nixus ra-
tionibus. Hunc ergo, & Sulpitium Seuerum si demas,
reliqui omnes a partibus stetere Cassiani. iup. ob ob
ob superio oīsv miniflūp audib[us] consigla[bus] l[et]it
l[et]it[us] per omni[us] ob sicut dicitur MVR[us] 2075 m[od]est
omnis
S. V.

Rursus equidem non defuerunt, qui hisce strenue
se opponent. Praeter ipsum Augustinum cum pri-
mis id PROSPER fecit, gente Aquitanus, acerrimus Augu-
stini defensor. Inter alia *h[ab]et spectantia librum* scripsit
de gratia Dei & libero arbitrio contra collatorem, quo
nomine Cassianum designat, ob *collationes patrum* ab
eo conscriptas, nobisque antea memoratas. Iungitur
his HILARIVS Arelatensis, sed ab episcopo eiusdem no-
minis antea iam nobis laudato, probe distinguendus,
ide[m]que Augustini discipulus & σύντελος, qui non
tantum ad eum scripsit, sed & qui eidem Hippomen-
sium

*** de scriptoribus eccles. cap. XIX. p. m. 29. * l. c. lib. II. c.
XVI. p. 187. ** l. c.

sum praefuli occasionem , libros de *praedestinatione*
sanctorum & dono perseverantiae, componendi, praebuit.
 An auctor operis sit , quod inter Ambrosiana legitur,
de vocatione gentium , disputat GERHARDVS IOANNES
 VOSSIVS. FAVSTVM, cui inter semi - Pelagianos, alte-
 rum a Cassiano locum dedimus , impugnarunt FVL-
 GENTIVS , Ruspensis ecclesiae episcopus , PETRVS, diaconus
 Asiaticus, & IO. MAXENTIVS , quorum cum iam ab
 aliis in hoc genere scripta commemorata sint, silentio
 ea praetermittimus, ne diutius quam par est , hisce
 immorari videamur. Neque ab hisce tantum scriptori-
 bus impugnatus semi - Pelagianorum error, sed a Ro-
 manis etiam pontificibus Celestino, Gelasio, Hormisda
 reiectus & improbatus fuit. * At tantum abest, vt extin-
 ctus hac ratione ac extirpatus fuerit , vt potius cum
 Cassiani scriptis in monasteria receptus , latius fuerit
 disseminatus, & eundo vires acquisuerit , & subinde
 licet acriter impugnatus , tandem tamen nostra acta-
 te, in ecclesia Romana triumphauerit.

§. VI.

Non itaque errauerimus , si Pelagianismi in ecclesia
 Romana originem a CASSIANO deriuauerimus. Nec
 inuitis hoc facimus eiusdem erroris in eadem ecclesia
 propugnatoribus ac propagatoribus hodiernis, vt potius
 gloriae sibi ducant, a CASSIANO quod sua acceperint.
 Fidem facit IO. MARIANA , Iesuita, qui suos, quod ex

B

Cas.

* vid. NATALIS ALEXANDER l. c. iungenda autem , quae de-
 Hormisda bene monet MARTINVS CHEMNITIVS, locis theo-
 log. loc. de libero arbitrio cap. VIII. p. 189.

Cassiani prodierint disciplina, laudare, nullus dubitat. *
 Non omnes, inquit, Augustini in eo sententiam probant:
 horrida ea multis videtur & affera. Video, quae a Cas-
 siano dicta sunt, omnia de gratia & libero arbitrio a vi-
 ris eruditis (ita νατ' ἐξοχὴν Iesuitae dicuntur) nostra
 aetate defendi, quasi pietati consona neque deflexa a fidei
 regula sancta. Fuerunt ex eodem Iesuitarum ordine,
 qui Cassianum magnis laudibus ceu celeberrimum sui
 seculi vitae spiritualis directorem, in coelum euerent,
 immo & dignum iudicarent, cuius scripta commenta-
 riis illustrarent, quod praeter HENRICVM CVTCKIVM
 episcopum Ruremundanum, ante Louaniensem theo-
 logum, STEPHANVM TVCCIVM Iesuitam, fecisse constat;
 exprobrante hoc illis in congregacione de auxiliis gra-
 tiae die x. Nouembr. M DC III. THOMA LEMOSIO, qui
 & lucubrationes aduersus TVCCII in Cassianum notas,
 confecit. Recte haec aliaque obseruata sunt MELCHIORI
 LEIDECKERO. ** Quod si assurgere altius, & vnde Cas-
 sianus sua acceperit, disquirere lubeat, meminisse oportet,
 quod supra diximus, eum diaconum & discipulum
 fuisse IO. CHRITSOSTOMI. Hic autem de liberi arbitrii
 viribus, vna cum reliquis graecae ecclesiae patribus paulo
 liberius securiusque locutusest, & docuit, eo quod Pelagia-
 na certamina in ecclesia orientali non adeo innotuissent,
 adeoque & doctrina de gratia & liberi arbitrii viribus mi-
 nus accurate discussa esset. Atque haec quoque ratio
 est, cur in scriptis patrum graecorum, praesertim illis
 qui-

* lib. III. de morte & mortalitate cap. VI. ** in historia Ian-
 senismi, lib. II. cap. II. p. 133 & 22.

quibus scripturam sacram explicant, subinde talia occur-
rant, quae ad Pelagiana dogmata, proxime accedere vi-
dentur. Quo nomine & RICHARDVS SIMON, graeco-
rum patrum explanationes expositionibus Augustini, eius-
que sectatorum, longissime praferendas cenfet; * ani-
mum ad Pelagiana dogmata propensissimum hic quo-
que prodens. Perperam vtique. Quae enim in grae-
cis patribus, ob rationem antea allatam excusanda sunt,
non statim laudanda, & ad imitandum proponenda e-
rant. Sed haec huius loci non sunt.

§. VII.

Pelagiani erroris in ecclesia Romana indicata
origine, ut progressum & fata eius in eadem ecclesia
exponamus, ordo ac instituti postulat ratio. Seculo
post Christum natum sexto vixit floruitque BENEDICTVS,
celeberrimi monachorum ordinis, qui ab eo nomen
retulit, conditor; qui cum monachis suis regulampraef-
scribit, praelegendam tenendamque illis Cassiani do-
ctrinam in *collationibus patrum*, commendat. Quo
maior itaque fuit BENEDICTI vitae sanctae, quam sibi
comparauerat, opinio, eo altius omnium animis Cas-
siani placita insigi oportebat. Accedebat, quod hoc cir-
citer tempore epiftola de *virginitate ad Demetriadem*,
quam Augustinus ceu a Pelagio scriptam refutauerat,
sub HIERONTMI nomine circumferri & legi coepert.
Qua quidem ratione incauti non poterant non turpiter

B 2 decipi.

* in *præfatione historiae crit. præcipuorum commentator.*
nouitatem, præmissa; iungenda &c, quae de Chryso-
stomo differit, cap. XI. p. 177. seqq.

decipi. Licet vero Benedictini monachi , qui Augustini opera ediderunt , hanc epistolam Pelagio abiudicent , eamque anno CCCCCXII. scriptam contendant , certum tamen , eam Pelagianis erroribus esse refertissimam . Incrementa autem maxima Pelagianismum inter monachos sumpsiisse , vel inde intelligitur , quod circa initium seculi octaui , anno DCC. BEDA , quem vulgo venerabilem vocant , errori huic se opponere necesse duxerit , *in praefatione in cantica , de gratia Christi aduersus Iulianum* . Nimirum eandem , quam antea memorauimus , epistolam ad Demetriadem hoc in libro refellit , quam a Juliano , Pelagiano , scriptam existimauit . Minime autem repressum apud monachos Pelagianum errorem inde intelligimus , quod circa initium seculi vndecimi , anno M C ANSELMVS , Cantuariensis archiepiscopus , edito de *concordia gratiae & liberi arbitrii libro* , contra eundem insurrexit . Mirum vero non est , tam difficulter hunc errorem ex animis monachorum euelli potuisse . Praeter rationes enim iam allatas , quae ad disseminandum & propagandum eum plurimum confe-rebant , accedebat , quod is sententiae de operum bonorum merito , quae tum maxime inualescebat , & quam mortalibus persuaderi , monachorum intererat plurimum , mirifice fauebat . Quo minus enim hominem suis viribus efficere posse agnoscimus , eo minus quoque operibus eius tribuemus : his contra tanto maius pretium accedit , quanto maiores naturae post lapsum statuuntur esse vires .

§. VIII.

In priori seculi duodecimi dimidio vixit floruitque

BER-

BERNARDVS, Claraeuallenſis abbas, doctrinae ſanctitatisque laude conſpicuus, qui cum graffantes in monaſteriis errores Pelagianos deprehenderet, ex diligentia ſacrarum literarum lectione rectiora edoctus, iis ſe opponere, ſuarum duxit eſſe partium. Hinc & librum ſcripsit de *gratia & libero arbitrio*, in quo rectius quidem quam reliqui, qui Cassianum ſequabantur, mentem explicat, quanquam & quaedam parum accurate dicta ibidem occurrant. Speciminis loco nonnulla affereamus: *Itane*, inquit, * *oblitus es, qui dixerit: sine me nihil poteris facere?* Et, neque currentis, neque volentis, ſed Dei miserenſis eſt. *Quid igitur agit, aīs, liberum arbitrium?* Breuiter respondeo, ſalnatur. *Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſaluetur.* *Tolle gratiam, non erit, unde ſaluetur.* Opus hoc ſine duobus effici non potest; uno a quo fit, altero, cui vel in quo fit. Deus auctor ſalutis; liberum arbitrium tantum capax; nec dare illam niſi Deus, nec capere valet, niſi liberum arbitrium. Quod ergo a solo Deo, & ſoli datur libero arbitrio, tam absque conſenſu eſſe non potest accipientis, quam absque gratia dantis. Et ita gratiae danti, ſalutem cooperari dicitur liberum arbitrium dum conſentit, hoc eſt, dum ſaluat. Conſentire enim, ſaluare eſt. Proinde pecoris ſpiritus ſalutem huiuscemodi minime capit, eo quod illi voluntarius conſenſus deſit, quo ſalvanti videlicet Deo placide obtemperet, ſive iubenti acquiescendo, ſive pollicenti credendo, ſine reddenti gratias agendo. Post multa alia eodem in libro & haec habet: ** *Inſirmitas voluntatis in ſe ipſa eſt,*

pnum

B 3

* p. 1055. ** p. 1066.

est, sanitas vero non a se, sed a Domini spiritu. Sanatur autem, cum renouatur, &c. Conatus liberi arbitrii ad bonum & cassi sunt, si gratia non adiuuentur, & nulli, si non excitentur. Ceterum in malum sunt proni, dcente scriptura, sensus & cogitationes hominum &c. Similia & in aliis scriptis Claraeallensis abbas passim inculcat, illorum qui humanis viribus in negotio salutis aliquid tribuunt, neutquam sibi probari sententiam, aperte innuens. Etenim & in sermone primo in canticum canticorum eleganter, quomodo lux, inquit, incassum circumfundit oculos coecos vel clausos, ita animalis homo non percipit, quae sunt spiritus Dei. Et sermone trigesimo: Cum mala in laude versamur, nostra cogitatio est, si bona, Dei sermo est. Itaque pacem, pietatem, iustitiam Deus in nobis loquitur: nec talianos cogitamus ex nobis, sed in nobis audimus. Rursus alibi* ad sui conuersionem nihil hominem conferre posse docet: Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus per se ipsam potuit resurgere iam corrupta. His longe plura addi possent; sed id superuacaneum ducimus, cum ex his quae Bernardi hac de re fuerit sententia, abunde patet,

§. IX.

Bernardi vestigia pressit, qui paulo post eum, sed eodem adhuc seculo vixit, PETRVS LOMBARDVS. Hic compilatis aliorum exemplo, ex patrum scriptis, sententiarum libris, theologiae, quam vocant, scholasticae originem dedit. In quibus sententiarum libris eti se mina

* homil. de annuntiat. Mariae §. 105.

mina illarum disputationum, quae postea inualescentibus magis Papatus tenebris ortae sunt, contineantur, de liberi tamen arbitrii viribus multa recte & ex rei veritate traduntur, quae adeo haud sine ratione iis censentur opposita, qui Cassiani placitis imbuti, Pelagianos in ecclesia Romana non desinebant propagare errores. Ex plurimis quae adserri possent, locis, pauca saltem delibabimus. Possunt, inquit, * in homine notari quatuor status liberi arbitrii. Ante peccatum enim ad bonum nil impiediebat, ad malum nil impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum, & habuit adiutorium ad bonum. Tunc sine errore ratio indicare, & voluntas sine difficultate bona appetere poterat. Post peccatum vero ante reparationem gratiae, premitur a concupiscentia & vincitur, & habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono, & ideo potest peccare, & non potest non peccare etiam damnabiliter. Post reparationem vero, ante confirmationem premitur a concupiscentia, sed non vincitur, & habet quidem infirmitatem in malo, sed gratiam in hono, ut posset peccare propter libertatem & infirmitatem, & posset non peccare propter libertatem & gratiam adiuuantem; nondum tamen habet posse omnino non peccare, vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfecte absorptam, & propter gratiam nondum plane consummatam. Post confirmationem vero, infirmitate penitus consumpta, nec vinci poterit, nec premi, & tunc habebit non posse peccare. Ad remouendam ab homine post lapsum, & in statu peccati constituto, omnem in spi-

* lib. II. sentent. distinct. XXXV.

in spiritualibus arbitrii libertatem, nihil apertius dici poterat. Profitetur enim, quod non tantum possit peccare, sed & quod non possit non peccare etiam damnabiliter. Nihil ergo humanis viribus relinquit, nihilque illis concedit, quo ad sui conuersionem homo aliquid conferre, aut qualemque bonum inchoare possit, sed omnia diuinae gratiae tribuit. Quod Pelagii non minus quam Cassiani decretis e diametro est oppositum. Sed non minus notatu digna quae idem de gratia diuina differit. *Haec inquit, * est gratia operans & cooperans.* Operans enim gratia praeparat hominis voluntatem, ut velit bonum: gratia cooperans adiuuat, ne frustra velit. Vnde Augustinus in lib. de grat. & lib. arbit. cooperando Deus in nobis perficit, quod operando incipit, quin ipse ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus operatur, cum autem volumus & sic volumus, ut perficiamus, nobis cooperatur, & tamen sine illo vel operante, ut velimus, vel cooperante, cum volumus, ad bona pietatis opera, nihil valemus. Ecce his verbis satis aperitur, quae sit operans gratia & quae cooperans. Operans enim gratia est, quae praeuenit voluntatem bonam, ea enim liberatur & praeparatur hominis voluntas, ut sit bona, bonumque efficaciter velit; cooperans vero gratia voluntatem iam bonam sequitur, adiuuando. Satis haec iterum luculentant, cum initium omnis boni motus, conatus, & actionis bonae, diuinae gratiae tribuendum esse doceat, qua in re & Pelagianos & semi-Pelagianos secus existimasse

* lib. II. sentent. dis. XXVI.

masse notum est. Plura & de Bernardo & de Petro
Lombardo dabit B. IO. GERHARDVS noster, in aureo
confessionis catholicae opere, quae ibi legisse, forte poe-*
nitebit neminem.

§. X.

Etsi autem hac ratione Pelagiani vtcunque reprimebantur errores, nihilosecius indies serpebant latius, & nouas subinde acquirebant vires. Factum id cum primis, cum seculo decimo tertio FRANCISCVS atque DOMINICVS nouos in Romana ecclesia, qui magnam deinceps celebritatem consecuti sunt, monachorum ordines conderent. Ut enim DOMINICO Cassianus maxime placuit, ita ut eius placita certatim in monasteriis resuscitarentur, effecit. Cathedras deinceps monachi ex iisdem ordinibus occuparunt, iisdem erroribus scholas repleteuri. Hinc licet Petri Lombardi libros sententiarum explicarent, commentariisque suis illustrarent, sententiariorum nomine inde insigniendi, in doctrina tamen de libero arbitrio, ab eo discesserunt, immo subinde ipsius refutarunt sententiam. Docuerat Petrus Lombardus, vt antea obseruauimus, hominem fide & gratia destitutum, non posse non peccare etiam mortaliter, vel vt ipse loquebatur, *dannabiliter.* At sententiarii isti, asserebant, hominem absque gratia & viribus liberi arbitrii posse canere quodvis peccatum mortale; posse se præparare ad gratiam; facere præcepta Dei, quoad substantiam actus, acquiescere ac assentiri, nostrum esse; præterea, meritum esse opus elicitum ex potentia liberi arbitrii,

C trii,

* lib. II. part. III. artic. XLII. cap. IV. p. 1437. seqq.

trii, concurrente gratia Dei; & quae alia erant eiusdem generis. * Extitit tamen ex ipso Dominicanorum ordine THOMAS DE AQUINO, vir magno & excellenti ingenio praeditus, qui veriora rectioraque perspexit, & Augustini vestigiis insistendo, Pelagianismo, torrentis instar orbem inundaturo, se opposuit. Virum hunc, non in hoc modo, sed aliis quoque doctrinae coelestis capitibus, veritatem cognitam & perspectam habuisse, adeoque longe rectius sentire, quam hodie Romana ecclesia sentit, iam pridem IO. GEORGIVS DORSCHAEVS, magni nominis inter nostrates theologus, demonstrauit, in libro, quo *Thomam de Aquino confessorem veritatis evangelicae*, exhibuit. ** Iuuabit tamen speciatim, quae de viribus liberi arbitrii, deque necessitate & efficacia gratiae mens eius fuerit, producendo in medium vno altero. ue testimonio, paucis declarare. De praecipuis nimirum animae humanae facultatibus, intellectu & voluntate, ita differit, vt illi potentiam per se & sine illuminatione res diuinas cognoscendi, huic autem potentiam se ipsam ad Deum conuertendi, diserte deneget. Vnde sua sponte sequitur, hominem in negotio conuer- sionis passus saltem, vt theologi loqui solent, se habere. Et de intellectu quidem ita differit: *** *Vnaquaque forma indita rebus creatis a Deo, habet efficaciam respectu alicuius actus determinati, in quem potest secundum suam proprietatem; ultra autem non potest,*
nisi

* vid. MARTINVS CHEMNITIVS, loc. theol. loc. de libero arbitrio cap. VIII. p. 190. ** vid. scđt. VIII. cap. III. p. 444 seqq.

*** I. II. q. CIX. art. I.

nisi per aliquam formam superadditam, sicut aqua non potest calefaceri nisi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quaedam intelligibilia agnoscenda, ad ea scilicet, in quorum notitiam per sensibilia possumus deuenire. Altiora vero intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine fidei vel prophetiae, quod dicitur lumen gratiae, in quantum est naturae superadditum. Sic igitur dicendum est, quod ad cognitionem cuiuscunque veri homo indiget auxilio diuino, ut intellectus a Deo moueatur ad suum actum, non autem indigeat ad cognoscendam veritatem in omnibus noua illustratione superaddita naturali illustrationi, sed in quibusdam, quae excedunt naturalem cognitionem. De voluntate autem ita verba facit: * Conuersio hominis ad Deum fit quidem per liberum arbitrium, & secundum hoc homini praecepitur, quod se ad Deum conuertat, sed liberum arbitrium, ad Deum, conuerti non potest, nisi Deo ipsum ad se conuertente, secundum illud Ierem. 31. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus Deus meus, & Thren. vlt. Conuerte Domine, nos ad te, & conuertemur. Addit praeterea: ** Nihil homo potest facere, nisi a Deo moueatur, secundum illud Io. 15. Sine me nihil potestis facere; & ideo cum dicitur homo facere, quod in se est, dicitur, hoc est in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo. Cum vero semi-Pelagiani, qui ex Cassiani schola prodierunt, con-

tenderent, saltem initium, seu inchoationem boni operis a nobis esse, hisce ita se opponit THOMAS, verba Pauli *II. Cor. III. 5.* explicans : * *In quolibet processu operis primo est assensus, qui sit cogitando, deinde collatio per verbum, & postmodum impletio per opus.* Vnde fit, ut si ne cogitare quis a se habeat, sed a Deo, non est dubium, quod non solum perfectio operis boni, est a Deo, sed etiam inchoatio, *Phil. I.* Qui coepit in nobis opus bonum &c. Et hoc est contra Pelagianos dicentes, quod inchoatio boni operis est ex nobis, sed perfectio est a Deo &c. Sed audire porro eundem Thomam iuuat, quae de gratia Dei operante & cooperante, docet. *Gratia, inquit, duplicitate potest intelligi; uno modo diuinum auxilium, quo nos mouet ad bene volendum & agendum; alio modo habituale donum, nobis diuinatus inditum.* Vtique autem modo gratia dicta conuenienter diuiditur per operantem & cooperantem. Operatio enim aliquius effectus non attribuitur mobili, sed mouenti. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota, & non mouens, solus autem Deus mouens, operatio Deo attribuitur. Et secundum hoc, dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra & mouet, & mouetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animae, & secundum hoc dicitur gratia cooperans. Quae quo pacto in applicatione se habeant, satis notum est. Reliqua, quae adhuc addi possent, mitto.

§. XI.

Non abs re fuerit, obseruare, Dominicanos, qui se ge-

* ad *II. Cor. III. 5.*

se genuinos THOMAE DE AQVINO discipulos profitentur, subinde hoc exprobrare Iesuitis, quorum opera hodie in Romana ecclesia Pelagianissimus triumphat, quod a doctrina *doctoris angelici* (ita enim vocari solet) discesserint. Quia in re nec exempla, nec praecepta Ignatii Loiolae, qui hanc societatem condidit, eos sequi contendunt. Ad exemplum enim quod attinet, FRANCISCVS A MONTE cardinalis, hoc maxime elogio coram Gregorio xv. virtutes eius, vt apotheosin impetraret, enarrans, eum condecorauit: *nouas opiniones nunquam admisit, & in theologia scholasitica doctrinam ANGELICI DOCTORIS sectatus est.* Sed idem praecepto confirmauit, dum inter leges, quas suis praescripsit, hanc quoque extare voluit: *In theologia legatur vetus & nouum testamentum, & doctrina scholasitica sancti Thomae.* Longe aliam vero viam, insuper habita doctrina Thomistica, eos ingressos, idque iam eo tempore, quo DIDACVS LATNES societati praefuit, sub specie quidem *accommodationis* *utiliorisque theologie*, propediem edendae, ostendit AVGVSTINVS LE BLANC, vel potius qui sub hocce nomine latitat, IAC. HTACINTHYS SERRIVS, Dominicanorum ordini adscriptus. * Iesuitae, non equidem negant, societatis suae conditorem, & Thomam de Aquino secutum, & sibi, vt eum sequerentur, praecepisse: at vero ab eius se desinisse doctrina, id quidem est, quod abnuunt prorsus & inficiantur. Iis, quae ad facta pertinent, non immorabimur, cum quae Dominicanis, talia sibi obiicien-

* in *historia congregat. de auxiliis diuinarum gratiarum*, lib. I, cap. I.
p. 6.

cientibus, regerant, ex THEODORO ELEVTHERIO, quo nomine Iesuitam Antuerpiensem celebrissimum, CONRADVM IANNINGIVM, tegi, constat, condisci queant. * Ad dogmata quod attinet, extat apud eundem ELEVTHERIVM, ** prolixa dissertatio FERDINANDI BASTIDAE, societatis Iesu theologi, qua probare nititur, *praedeterminan-nes physicas cum omnibus S. Thomae principiis pugnare*, & auctores inuentoresque earum recentiores Thomistas, quantum ad Calvinum accedunt, tantum ab angelico ma-
gistro recedere. Summa eo reddit, *præmotiones*, quas vocant, *physicas*, a mente sententiaque Thomae de Aqui-
no, longe esse alienissimas. Quod si de eiusmodi præ-
motionibus intelligatur, quibus resistere homines ne-
queunt, haud difficulter concessero. Sin de iis, per
quas solus Deus in opere conuersionis homines mouet,
at quibus homo resistere potest, sane Thomae hanc sen-
tentiam rectissime tribui, vel ex antea dictis constat;
quamvis plurima ad id comprobandum adhuc loca ad-
ferri possent.

§. XII.

Vt eo, vnde digressi sumus, redeamus, quantum-
uis THOMAS de liberi arbitrii viribus, deque gratia Dei,
non male & sentiret & doceret, non tamen vt reliqui
eius exemplum sequerentur, efficere potuit. Immo
non deerant, qui ei se opponerent, quod cum primis
IO. DVNS, SCOTVS, fecit, vt in aliis, ita hac quoque in re
ab eo dissentiens. Nota sunt Thomistarum Scotistarum-
que

* his, controuers. de diuinae gratiae auxiliis Sc. lib. I. cap. II.
p. 3. scqq. ** l.c. lib. VI. cap. XVIII. p. 677.

que nomina, quibus scholae ea aetate personabantur. Docuisse nimirum SCOTVM nonnulli obseruant, * *hominem sine gratia naturae viribus, posse exercere opera moraliter bona, quibus de congruo mereatur gratiam gratum facientem; addita ratione; nisi ponatur meritum congrui, non posse Deum defendi ab acceptione personarum.* Quo ipso a Pelagiana haeresi non procul se abesse, doctor subtilissimus satis testatus est. Quid ergo mirum, si passim & ab aliis similia audirentur: praesertim cum Cassiani placita plurimorum animis altissime infixa haererent. Fuerunt itaque qui seculo decimo quarto, circa cuius initium SCOTVM obiisse constat, suarum esse partium putarunt, inualescenti inter scholasticos Pelagianismo strenue se opponere: quod prae reliquis THOMAM BRADVVARDINVM, qui *doctoris profundi elogio condecoratus est*, in libris tribus, *de causa Dei & de veritate causarum contra Pelagium*, fecisse constat. GREGORIVS praeterea, vel ut alii vocant, GEORGIVS ARMINENSIS, theologus Parisiensis, qui eodem seculo floruit, receptam sententiariorum de libero arbitrio sententiam publice refutauit, prorsusque Pelagianam esse ex Augustino demonstrauit. Idem etiam GVIL. OCCAMVM, ROBERTVM HOLCOT, aliosque, qui de praedestinatione scripserunt, fecisse constat, quorum nomina IO. GERHARDVS VOSSIVS adfert. ** Praeualuit nihilosecius apud plerosque sententia SCOTI, & eundo vires & incrementa cepit, ut scholasticorum hoc tempore theologia tum aliis grauis simis

* vid. MARTINVS CHEMNITIVS, locis theol. loc de lib. arbitr. cap. LIX. p. 190. ** histor. Pelig. lib. I. cap. XXVI. p. m. 578.

simis, tum maxime Pelagianis eiusmodi erroribus foedita, acriorem emendationem postularet. Ea vero, quo pacto, Numinis beneficio singulari obtigerit, id nunc paucis porro nobis exponendum est.

§. XIII.

Cum B. MARTINVS LVTHERVVS diuinitus ad hoc excitatus, ecclesiae mirum in modum corruptae restorationem magno animo susciperet, inter alia grauissimos scholasticorum in doctrina de libero arbitrio errores animaduertit, & more suo, libere & cordate reprehendit. Idque eo minus mirum, quod AVGSTINI doctrinae ipse velut innutritus esset, & haec ipsa cum doctrina de iustificatione & bonis operibus, in qua ab infinitis errorum sordibus repurganda, vir beatissimus vel maxime desudabat, arctissimo connexa sit vinculo. Cum ergo hoc ipso scholasticae theologiae iugulum peteret, nec inter aduersarios eius esset, qui in re tam ardua cum illo congregari auderet, tandem DESIDERIVS ERA-SMVS, inuitus licet, & velut coactus, se induci passus est, ut causae tam desperatae defensionem in se susciperet. LUDOVICVS MAIMBVRGIVS dum haec enarrat, fateatur, Erasmus Lutherum *in capitali doctrinae sua articulo aggressum esse*; additque porro: *Lutherum simpliciter eripere liberum arbitrium hominibus voluisse, specioso sub praetextu extollendi gratiam Iesu Christi & superbiam humanam deprimenti, dum omnia Deo, nihil pro rorsus liberae cooperationi voluntatis nostrae tribueret.** Recte quidem; cum etiam in spiritualibus ante conuersionem homo

* *Histor. Lutheranissimi sect. II. §. LXIII.*

homo nullis liberi arbitrii viribus gaudeat, adeoque nihil sibi, sed omnia tribuere Deo debeat. Mirum autem non est, MAIMBVRGIO hanc displicuisse doctrinam, cum in sequentibus haud obscure prodat, ab illorum se stare partibus, quorum vel maxime opera Pelagianismus hodie in ecclesia Romana triumphat. Recte hoc obseruatum VITO LUDOVICO DE SECKENDORF, dum prolixa, inquit, haec digressio, ore Lutherum petit, cauda illos ferire videtur, qui Auguſtinum omnibus pene paginis allegantes, Iefuitarum dogmata de gratia, dein totam disciplinam exagitarunt, Iansenistarum nomine celebres & odioſi. * Cum vero Lutheri hic eadem doctrina sit, quae reuera Augustini fuit, recte dicere potuit: Auguſtinum totum ſuum eſſe. ERASMO namque obiiciente patres omnes, omniaque concilia ei aduersari, nec alium quenquam eum pro ſe habere, quam Ioan. Wicleffum, & Laurentium Vallam, respondet LVTHERVUS: Ex mea vero parte vnuſ Wicleff, & alter Laurentius Valla, quanquam & Auguſtinus, quem praeteris, meus totus eſt. ** Maximopere hoc iterum LVD. MAIMBVRGIO displicet, qui in toto libro hocce Lutheri nihil magis stupendum eſſe ait, quam quod ad Auguſtinum prouocare audeat. Diſcrimen autem, quod inter ſententiam Auguſtinii & Lutheri intercedere putat, oſtentur, interim, inquit, euidentiſſimum eſt, quod nihil clarius aut frequentius in operibus sancti huius doctoris exprimatur, quam liberum arbitrium hominis, cum gratia quae id perficit, facultatem

D

ei con-

* comment. de Lutheranismo lib. I. §. CLXXIX. p. 308. **
de ſeruo arbitrio, p. m. 46.

*ei concedens bona facere per se , nec auferens eam quam
babet , ut mala faceret per se ipsum . Hoc vero illis de-
mum persuadebit , qui nunquam Augustini opera inspe-
xerunt . Cum enim Hipponeñsum praeful non tantum
Pelagianis , sed & semi-Pelagianis , vt antea dictum , se
opposuerit , qui saltem initium boni operis & conuer-
sionis ab homine esse asserebant , quis credat , eundem
praefulem homini in spiritualibus liberum arbitrium ,
quod a gratia tantum perfici debeat , concessisse ? Ob-
seruare autem hac occasione iuuabit , ERASMVM tripli-
cem de libero arbitrio proponere sententiam . Primam ,
qua dura , satis tamen probabilis illi videtur , eorum , qui
negant , hominem posse velle bonum , sine peculiari gratia ,
negant , posse incipere , negant , posse progredi , perfice-
re &c . Alteram , quam duriorem vocat , eorum , qui
contendunt , liberum arbitrium nihil valere , nisi ad pec-
candum , solam gratiam in nobis operari bonum &c .
Tertiam denique , quam durissimam adpellitat , eorum ,
qui dicunt , nomen inane esse liberum arbitrium , sed
Deum tam bona , quam mala in nobis operari , merae-
que necessitatis esse omnia quae sunt . Ex his sententiis
medianam Augustino , & ultimam Lutherò tribuit . Sed
Lutherus recte id fieri negat , cum nihil aliud dicere vol-
uerit , quam quod in prima sententia continetur . Sed
testor Deum , inquit , * aliud nihil volui dicere , nec aliud
intelligi , per verba duarum postremarum opinionum , quam
id quod dicitur in prima opinione . Nec Augustinum aliud
voluisse arbitror , nec aliter ex ipsius verbis intelligo , quam
quod*

* p. m. 74.

quod prima dicit opinio, ita ut tres opiniones in diatribe recitatae, apud me non sint, nisi una illa mea sententia &c. Nec id praetermittendum puto, quod B. Lutherus ex scholasticis PETRI LOMBARDI sententiam preferat sententiae ERASMI. Id enim ad ea, quae antea hac de re disputauimus, confirmanda pertinet. Tolerabilius, inquit, * longe tradunt sophistae, vel saltem pater eorum Petrus Lombardus, qui liberum arbitrium dicunt esse facultatem discernendi, deinde & eligendi, boni quidem, si adsit gratia, mali vero, si desit gratia, planeque cum Augustino sentit, liberum arbitrium suapte vi non posse nisi cadere, nec valere nisi ad peccandum. Paucis interiectis addit: Non haec dico, quod sophistarum sententiam de libero arbitrio probem, sed quod tolerabiliorem esse ducam, quam Erasmi, propius enim accedunt ad veritatem.

§. XIV.

Ceterum quae vulgo in hocce B. LVTHERI libro, de seruo arbitrio, desiderari solent, ad duo redeunt capita. Primum hoc est, quod omne plane arbitrium liberum homini denegare videatur, & interdum paulo durius de eo loqui, dum afferit, liberum arbitrium esse diuinum nomen, quod soli diuinae maiestati competit; esse summum hostem iustitiae & salutis humanae; liberi arbitrii assertores esse abnegatores Christi; liberum arbitrium esse merum mendacium, & quae reliqua sunt eiusdem generis. Sed si cogitemus, loqui beatum virum non de actionibus externis aut ciuilibus, sed de spiri-

D 2 tuali-

* p. 69.

tualibus, facile reprehendemus, nihil eum dixisse, quod reprehensionem mereatur. Alterum hoc est, quod gratiam ita extollat, ut proxime ad ineuitabilem necessitatem & absolutum praedestinationis decretum, accedere videatur. Quo nomine reformatae ecclesiae doctores huncce Lutheri librum magnis laudibus in coelum enchere solent, ac si plane ab ea sententia staret, quam illorum maiores deinceps defendendam suscep-
runt, & illi etiamnum defendunt. Hinc GEORGIVS HOR-
NIVS, *nullum post apostolica scripta librum lectione & me-
ditatione dignorem esse*, pronuntiat. * BENEDICTVS ve-
ro PICTETVS, Lutherum super quaestione de gratia &
praedestinatione, *duriora, quam ullum Reformatum,*
protulisse, asserere non dubitat. ** Et diffiteri vtique
nolumus, nonnulla paulo darius dicta viro summo &
& in certaminis aestu constituto, excidisse: at ea ita
comparata esse, ut non tantum commodum sensum,
admittant, sed ita quoque iuxta leges legitimae inter-
pretationis accipienda esse, b. SEB. SCHMIDIVS, theologus
Argentoratensis longe celeberrimus, in *annotationibus*
ad huncce Lutheri librum, luculenter demonstravit.
Quas summi viri annotationes, cum praeter alias PE-
TRVS TVON ex Labadistarum familia, arroderet, ac si
ad mentem saltem alienam Luthero affingendam com-
paratae essent, idque parum feliciter auctori cessisset,
vindicias pro SEB. SCHMIDIO parauit IO. IOACHIMVS
ZENTGRAVIVS, theologus itidem Argentoratensis longe
claris-

* *bif. eccl. p. m. 447.* ** *de consensu & diffensu inter Re-
form. & Aug. conf. theol. cap. IV. p. 48.*

clarissimus, in *praefatione apologetica*, editioni secundae libri de seruo arbitrio cum annotationibus SEB. SCHMIDI, anno M DCC VII. praemissa. Haec omnia qui paulo accuratius secum expendent, non amplius nobis exprobabunt, nos a sententia B. Lutheri discessisse, quod & praeter alios MELCHIOREM LEIDEKKERVM, * theologum Ultraiectinum fecisse, valde miror. Nolleam etiam de B. IO. GERHARDO haec ei excidisse, quibus initio eum laudat, quod cautius reliquis sentiat, statim autem addit, illum *eo absurditatis prolapsum*, ut statuat gratiam efficacem respui posse, liberumque arbitrium gratiae obiciem ac impedimentum ponere, quominus conuersionem efficiat. Enimvero quid in ea sententia absurditatis sit, non video, nisi ipsam scripturam sacram absurditatis arguere velit, quod cum opus conuersationis soli Deo tribuat, homine, vt pote in peccatis mortuo, nihil conferente, alibi tamen, resistere hominem spiritus sancti operationi posse, diserte doceat, ut *Mattb. XXIII. 32.*
Act. VII. 51. alibique.

§. XV.

Quemadmodum vero B. LVATHERVS, vt ex hactenus dictis patet, Pelagianismo scholasticorum in ecclesia Romana masculine se opposuit, ita idem fecerunt pii nostri confessores in *apologia Augustanae confessionis*, quam illorum nomine & consensu conscripsit PHILIP-
PVS MELANCHTHON. Cum enim docuissent scholasticos doctores non intelligere, quid peccatum originale sit, de iisdem addunt: ** *Imo tribuunt interim humanae*

D 3

natu-

* *biflor. Iansenijmi part. II. lib. I. c. VII. p. 276.* ** *p. m. 52.*

naturae integras vires ad diligendum Deum super omnia, ad facienda praecepta Dei, quoad substantiam actuum: nec vident, se pugnantia dicere. Nam propriis viribus posse diligere Deum super omnia, facere praecepta Dei, quid aliud est, quam habere iustitiam originis? Quod si has tantas vires habet humana natura, ut per se posse diligere Deum super omnia, ut considerenter affirmant scholastici, quid erit peccatum originis? Quorsum autem opus erit gratia Christi, si nos possimus fieri iusti propria iustitia? Quorsum opus erit spiritu sancto, si vires humanae per se, possunt Deum super omnia diligere, & praecepta Dei facere? Quis non videt, quam praeponere sentiant aduersarii? Similia & in sequentibus, vbi de libero arbitrio verba faciunt, repetunt: * Sed quid interest inter Pelagianos & aduersarios nostros? cum utrique sentiant, homines sine spiritu sancto posse Deum diligere, & praecepta Dei facere quoad substantiam actuum, mereri gratiam ac iustificationem operibus, quae ratio per se efficit, sine spiritu sancto. Ipse equidem MELANCHTHON non satis sibi ipso hac in re constituit. Cum enim initio, libero hominis arbitrio tam parum tribueret, vt ab altero parum abesset extremo, tandem post certa interualla, auctoritate Erasmi, vt admodum est verosimile, abreptus, docere coepit, voluntatem hominis non renati ex naturalibus viribus, posse se ad gratiam applicare, conari, assentiri atque cooperari spiritui sancto. ** Quam sententiam cum nonnulli ex eius discipulis

* p. 217. 218. ** vid. CONRADVS SCHLVSELBVRGIVS, catal.
haeret. lib. V. p. 13. 14. seqq.

pulis itidem tenerent, ac acriter tuerentur, synergistica hinc in ecclesia nostra torta sunt certamina, per formulam demum concordiae feliciter consopita; quam simul Pelagianis eiusmodi erroribus obex validissimus positus est. Atque haec cum nota satis sint atque manifesta, patet etiam, quid ad calumnias vanasque exprobationes, quibus variationes, contradictiones, semi-Pelagianismum, & similia nobis IAC. BENIGNVS BOSSVETVS obiicit, respondendum sit. Nimirum, ut paucis, & *ως ἐν παρόδῳ* ista depellamus, semi-Pelagianismum ex hisce Augustanae confessionis verbis: * *esse fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod sit idoneum in iis, quae ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare, aut CERTE peragere, sed tantum in operibus vitae praesentis, tam bonis quam malis &c.* exculpere annititur. ** Verba namque certe peragere ita accipit, ac si significant, licet homo non poslit sine gratia Numinis perficere bona opera, eorum tamen initium in eius viribus positum esse. Quod semi-Pelagianum fuisse dogma constat. Sed fallit magnopere BOSSVETVS, aliosque fallit. Elegantiae enim causa cum vox certe addita sit, sensus non aliis est, quam, nec inchoare, nec peragere quidquam hominem posse, sine diuina gratia. Hoc quae antecedunt, & consequuntur, docent, & ex apologia quoque Augustanae confessionis, pariter ac versione germanica aperte constat. Quod porro addit, in Augustana-

con-

* art. XVIII. ** histoire des variations des églises protestantes, tom. I. lib. III. p. 105.

confessione, Romanae ecclesiae tribui errores, quos semper detestata sit, vel ex hactenus dictis refelli potest. Scholasticos enim doctores quos designauimus, Pelagianos fuisse, aperi-
tius est, quam ut negari queat. Quae de PHILIPPO MELANCH-
THONE nobis obiicit, * nos non feriunt. Sententiam enim, quae ei, & quibusdam ipsius discipulis de co-
peratione liberii arbitrii in conuersione, peculiaris fuit,
nostram, ut antea monuimus, reieciisse ecclesiam, nec igno-
rare, nec diffiteri potest ipse BOSSVETVS.

§. XVI.

Sed ad Romanam ut redeamus ecclesiam, ea ut errores a maioribus nostris cordate detectos, & solide refutatos, nec agnoscere, nec emendare voluit, ita prae-
cipui eius doctores non magis inter se, quam cum iis, quos in haereticorum referebant numerum, consentie-
bant. Tridentinum etiam concilium tantum abest, ut malis hisce medelam attulerit, ut potius occasionem er-
rores pariter ac dissensiones augendi, suppeditauerit. Et in ipso quidem concilio qui aderant doctores, ut su-
per aliis capitibus, ita & super doctrina de libero arbitrio, viribusque naturae & gratiae, acriter inter se disce-
ptabant. Sic grauis inter eos oriebatur controuersia, vtrum credere, an non credere, humanae sit potestatis? Id Franciscani negabant, secuti SCOTVM, qui volebat, sicut ex demonstrationibus necessario nascitur scientia, ita ex persuasionibus necessario gigni fidem, ipsamque esse in intellectu, qui est agens naturale & naturaliter mouetur ab obiecto. At Dominicani dicebant, nihil esse

esse magis in potestate voluntatis, quam credere, solaque voluntatis determinatione, ac decreto, posse aliquem credere, si velit, stellarum numerum esse parem. Longe maior adhuc disceptatio fuit de assensu, qui a libero arbitrio inspirationi diuinae, aut gratiae praeuenienti commodatur. Hac in re enim non modo Franciscani a Dominicanis, sed & hi inter se sententiis variabant. Franciscani enim asserebant, quandoquidem voluntas possit seipsum praeparare, hoc magis in potestate sua esse positum, praeuentione diuinam aut admittere aut reiicere, quando Deus illi auxilium praebet, priusquam naturae viribus vtatur. Dominicani vero negabant, opera vocationem praeecedentia esse vere praeparatoria, primum locum Deo semper adscribentes. Inter hos rursus DOMINICVS A SOTO defendebat, vt cunque homo gratiam acquirere nequeat, sine speciali Dei auxilio praeueniente, voluntatem nihilo minus posse semper certo quodam modo auxilium illud respuere & repudiare; immo quando Dei opem recipit, ideo fieri, quia assensum suum praebet, idque vult: alioqui nisi assensus noster requireretur, nullam subesse causam, cur ad Deum omnes non conuertantur. Haec aliaque PETRVS SVAVIS POLANVS, seu potius PAVLVS SARPIVS VENETVS refert. * Vnde quam parum patribus Tridentinis haec super re conuenerit, liquido constat. Decretum tamen tandem factum, eoque sancitum: ** oportere, ut unusquisque agnoscat & fateatur, omnes homines, perdita in praeuaricatione Adae innocentia,

E factos

* bistor. concil. Trident. lib. II. p. 348. seqq. ** sess. VI. cap. I.

factos immundos & natura filios irae, atque adeo seruos fuisse peccati & sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo gentes per vim naturae, sed ne Iudei quidem per ipsam etiam literam legis Mosis inde liberari aut surgere possent, tametsi in iis liberum arbitrium MINIME EXTINCTVM esset, viribus licet attenuatum & inclinatum. Hinc & canone quinto fanciunt: Si quis liberum hominis arbitrium post Adami peccatum amissum & extintum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a satana inuectum in ecclesiam, anathema sit. Enimuero hic boni isti patres Tridentini sophistarum more agunt, & ad fallendos incautos, meritis aequiuocationibus ludunt. Non enim explicant, quid liberi arbitrii voce intelligent. In spiritualibus ipsimet, homini liberum arbitrium tribuere non audent; in naturalibus aut ciuilibus nostrates nunquam homini liberum arbitrium denegarunt, adeoque anathemate suo aërem verberant. Pelagianis vero in more positum fuisse, eiusmodi aequiuocationibus alias fallere, egregie magno nostro MARTINO CHEMNITIO obseruatim. * Quid ergo mirum, controversias hac de re in ecclesia Romana adeo non fuisse extintas, vt post concilium Tridentinum longe vehementius eruperint. Immo paulo post istam sessionem DOMINICVS SOTTO Dominicanus, & ANDREAS VEGA Franciscanus, de natura & gratia oppositos sibi libros ediderunt, vtroque ad concilium prouocante, eiusque auctoritate opinio-
nes

* in examine concil. Trident. part. I. p. 120.

(35)

nes suas e diametro secum pugnantes, defendente.*

§. XVII.

Idem luculentius adhuc patuit, cum celeberrimae istae inter Dominicanos ac Iesuitas, de auxiliis, ut vocant, gratiae, orientur controuersiae. Quae cum ad fata & progressum Pelagianismi in ecclesia Romana vel maxime pertineant, neutquam a nobis sunt praetermit tendae. Originem equidem praeципue debent LVDOVICI MOLINAE, de *concordia liberi arbitrii cum gratiae donis*, libro: sed negandum tamen non est, iam antea eas inter Iesuitas ac Dominicanos gliscere coepisse. Quodsi AVGUSTINO LE BLANC ** credimus, primus qui inter Iesuitas aperte a doctrinae Thomisticae tramite discessit, PRUDENTIVS DE MONTE MAIOR fuit, qui anno M D LXXXI. in disputatione Salmanticae habita, & absoluta Dei, erga actus liberos decreta, & gratuitam quoque praedestinationem explodere, ausus fuerit. Ei vero cum DOMINICVS BANNES, immo ipsa academia acriter se opponeret, hactenus quidem lis ista consopita fuit, nisi quod GREGORIVS DE VALENTIA anno M D LXXXIV. Ingolstadii scientiae mediae defensionem suscepit. Mox autem, anno scilicet M D LXXXVII. celebris illa in Belgio inter facultatem theologiae Louaniensem, & LEONHARDVM LESSIVM, societatis Iesu theologum, enata est controuersia, cuius originem, qui Iesuitis fauent,

E 2

inde

* vid. 10. HENR. HEIDEGGERVS in *anatome concilii Trident. sess.*
VI. p. 170. ** bish. congregat. lib. I. cap. I.

inde deruant, * quod MICHAELIS BAI^I (de quo deinceps ex instituto) propositiones variae a PIO V. & GREGORIO XIII. atro notatae fuerint lapillo. Hinc enim academiam Louaniensem a BAIO, qui plurimos in ea fautores habuerit, incitatam, scripta Iesuitarum excusisse, an in iis erronei aliquid inuenire posset. EX LEONHARDI LESSII itaque & IOAN. HAMELII, qui praecepit in societate Iesu erant theologi, scriptis, triginta propositiones censura fuisse notatas, ex quibus una fuerit de gratia sufficiente. Quicquid huius sit, id certum, Iesuitarum propositiones quasdam tum a Louaniensi primum, mox & a Duacensi academia, censura fuisse notatas: unde vehementissimae eo tempore in Belgio contentiones, ea tandem ratione finiendae, ut utriusque parti silentium imponeretur. Quae porro hac super re in Belgio agitata sunt, mittimus, cum ad LVDOVICVM MOLINAM potius nobis accedendum sit, qui meditatum diu opus, *de concordia liberi arbitrii cum gratiae donis*, tandem anno MD LXXXVIII. in lucem emisit publicam. Eo in opere, ut naturae vires supra gratiam extulit, hominique plus tribuit quam Deo, ita cum primis DOMINI BANNESHI doctrinam summo oppugnauit studio, defensorem mox & hyperaspistem nactus ANTONIVM DE PADIGLIA, qui Vallisoleti theologiam docebat, & in publicis conclusionibus Molinae doctrinam ceu probabilem defendebat. Ut autem arbitrii libertatem cum praescientia diuina conciliaret, sententiam *scientia Dei media assumpsit*, eiusque sibi tribuit inuentionem, gloriam

* vid. THEOD. ELEVHERIVS *bif. congregat. lib. I cap. VI.*

riam noui inuenti, inuidentibus aliis. Cum primis PETRVS FONSECA eandem sibi afferuit, qui & iam anno M D LX eam Eborae auditoribus suis, quos inter Molina quoque fuerit, tradidisse perhibetur, cumque isto honore a discipulo se spoliatum videret, metaphysicam suam edidit, in qua rem vti gesta erat, exposuit, nuaeque illius sententiae se professus est auctorem. Undecunque autem hypothesin illam acceperit Molina, id certum, illum ita eam poluiisse ac instruxisse, ut non sine omni ratione eam suam dicere potuerit. Quo pacto liber istae Molinae prodierit, quibusue artibus opus fuerit, ut superatis difficultatibus omnibus, in lucem emergere potuerit, exponere pluribus supersedemus, cum id parum nostra referat, & ex vtrique parte hac de re disceptetur. Id negari nequit, diversa hominum eruditorum in ipsa ecclesia Romana de eo fuisse iudicia, nec omnibus eum fuisse probatum. Dominicanis eum non placuisse, nemo dubitaverit: sed nec alii, immo ne Iesuitis quidem omnibus, eum probatum, afferit AVG. LE BLANC, cum THEODORVS contra ELEVTHERIVS contendat, eum communi fere omnium religiosorum ordinum suffragio & approbatione in Hispania receptum esse. De ROBERTO BELLARMINO, cardinali, speciatim disputatur; qua de re dein ceps dicemus. Cum vero Dominicani, & qui principem inter eos tenebat locum, DOMINICVS BANNESIVS acriter libro huic se opponerent, & dogmata in eo proposita damnarent, Iesuitae autem ordinis sui honorem in eo versari existimantes, ne Molinae iste liber reiiceatur, causam inde communem facerent, magni hinc

vehementissimique in Hispania exorti sunt motus; quibus componendis, cum nulla alia auctoritas sufficeret, magnumque inde ecclesiae Romanae malum metetur, Clemens tandem VIII. causam hanc Romanam euocauit, paulo accuratius ibi discutiendam. Institutae itaque Romae sunt congregations XXXII quas ideo de auxiliis gratiae diuinae vocare solent, ab anno M D XCVII. vsque ad M DC II. in quibus causa ista magno labore disceptata est. Quid in singulis istis congregacionibus actum sit, exponere nostri non fert instituti ratio; id saltem monemus, rem eo tandem in iis deductam esse, ut sententia a pontifice ferri posset. Cumque & Hispaniae rex Philippus III. cause istius definitionem vrgeret, tum demum Iesuitae, vt fulmen, hoc declinarent, pontificisque impedirent definitiōnem, omnem mouerunt lapidem, & si AVGUSTINO LE BLANC credimus, mox schismatis inde in Hispania oriunti iniecerunt metum, mox academiam Parisensem plane a suis stare partibus persuasere, mox concilii generalis fecere mentionem, vt in eo causa haec diuidaretur. Immo & libros submisisse refert, quorum auctores coelesti lumine se perfusos, & Moliniana sententiae veritatem, diuinitus se edoctos, mentirentur, cuius generis fuerit liber Parisis, anno M DC I hocce, titulo editus: *Tractatus de praedestinatione, in scripturam sacram & veram euangelicam lucem, diuina mediante gratia, ab idiota Ferdinando de las Infantas, presbytero Cordubensi compotitus, & extra omnem prætentionem ipsi verae luci Christi Dei filio, a quo accepit omnia, dicatus.* THEODORVS VERO ELEVTHERIVS haec omnia

omnia diluere annititur ; & ad reuelationes quidem speciatim quod attinet, quibus Iesuitae Molinae doctrinam commendari curauerint, primo *flultas & sacrilegas*, quas vocat, *reuelationes*, longe rectius Dominicanis obiici contendit, atque ex historiarum monumentis comprobat, tum vero librum antea memoratum, societatis Iesu instinctu prodiisse, Thomaeque de Lemos ad hoc sufficere auctoritatem, negat. Refert praeterea AVGVSTINVS LE BLANC, Iesuitas eousque audaciae progressos, vt palam assertionem hanc defenderent, *de fide non esse, Clementem VIII. summum pontificem, & Petri successorem esse.* Nec negat ELEVTHERIVS a quibusdam eam defensam fuisse ; non minus tamen a Dominicanis idem factum, ostendit. Licet autem haec omnia Clementem VIII. pontificem non fugerent, in suo tamen instituto perseverauit, ad ferendam contra Molinam sententiam, pronus. Iesuitae autem cum nihil intentatum relinquerent, & in omnes se verterent partes, tandem obtinuerunt, vt nouo examini res omnis subiiceretur. Iterata itaque sub eodem pontifice Clemente VIII. causae huius instituta fuit cognitio, LXVIII. congregationibus ipso praesente pontifice, ab anno MDC II ad M DC V absoluenda, in quibus multa memoratu digna contigerunt, a nobis, ne dissertationis modum excedamus, silentio praetermittenda. Cuncta ergo cum accuratissime discussa essent, pontifex quidem, si Dominicanis credimus, ad ferendam contra Molinam sententiam, afferendamque Augustini doctrinam semper paratus fuit, immo iam in eo fuisse fertur, vt bullam contra Molinam promulgaret, morte tamen, quo minus idfa-

id ficeret, fuisse praepeditum. Hoc licet abnuant, qui Iesuitis fauent; id tamen certum, pontificis istius, qui die III. Martii M DCC V. diem supremum obiit, mortem, impediuisse, quominus controuersia ista ad finem perduceretur. *

§. XVIII.

Mortuo Clemente, suffectus in eius locum est Alexander Medicaeus, Leo XI. postea dictus. Qui cum per dies saltem xxv hocce munere functus esset, Camillus Burgesius electus est, sub Pauli V nomine notus. Hic cum finem contentionibus hisce imponere vellet, renitentibus licet & in omnem se vertentibus partem societatis Iesu patribus, causam istam resumpsit. Cumque septendecim tandem congregationibus, negotium hoc fuissest absolutum, Paulus, si Dominicanis credimus, finienda controuersiae iniit consilium, bullamque consultoribus delineandam commisit, quam illi etiam diligenti studio elaboraram, pontifici tradiderunt. Orta autem hocce tempore inter pontificem huncce

&

* Secuti in hisce sumus partim AVGVSTINVM LE BLANC, partina THEOD. ELEVTHERIVM, locis citatis, instituta vtriusque comparatione. Vtriusque operis etiam extat recensio, in actis eruditior. Lips. anno M DCC p. 337. seqq. it. ann. M DCC VII. p. 366. seqq. & p. 387. seqq. quae cum DN. PRAESIDEM auctorem agnoscat, & ea quandoque vni sumus; conf. & Abregé de l' histoire de la congregatiōn de auxiliis p. 36. seqq. IO. HENRICVS HEIDEGGERVS hist. papar. p. 285. 286. ANDR. CAROLI, memorab. hist. eccles. sec. XVII. lib. I. cap. XL. p. 137. seqq.

& rempublicam Venetam contentio effecit, ut promulgationem eius in aliud tempus differret. Id plane ex voto Iesuitis accidit, quibus & hac ratione occasio ex omnibus difficultatibus emergendi, suppeditata fuit. Cum enim in istis dissidiis Iesuitae pro pontifice contra rempublicam Venetam starent, adeo, ut Venetiis excedere, quam pontificis adducere in discrimen auctoritatem mallent, illius ita sibi deuinixerunt animum, ut ex eo tempore nihil non in Iesuitarum gratiam ageret. Hinc & omnem mouit lapidem, ut a Venetis recipi-
rentur Iesuitae, quod tamen impetrare non potuit. Ita quidem Dominicani. At longe alia Iesuitae nobis narrant. Bullam namque Pauli V. tam speciose iactitamat, commentitiam esse pronuntiant, quae nunquam extiterit in rerum natura: scriptum equidem aliquod a CORONELLO, congregationis secretario, esse compositum, cui tamen pontifex non subscripterit, de quo etiam sciri nequeat, an vnquam a cardinalibus & pontifice examinatum sit. Quicquid huius sit, id controuersia carret, litem istam hac ratione minime decisam esse; et si imposito vtrique parti silentio, pax quodammodo sancta, simulque impressio librorum de auxiliis, decreto pontificis anno M DC XI. sit prohibita. * Ea ipsa vero prohibitio Iesuitis nouam conquerendi causam praebuit. Cum enim istud pontificis decretum promulgatum esset, cum DIDACI ALVAREZII opus de auxiliis gratiae prodisset; instinctu Dominicanorum hoc factum, concludabant Iesuitae, ut quae ipsi Aluarezio opponere decre-

F uerant,

* conf. auctores ad §. praeced. laudati.

uerant, hac ratione impedirentur. Vix enim hocce
 Aluarezii opus prodierat, cum societatis istius patres
 magna FRANCISCI SVAREZII & LEONIARDI LESSII de au-
 xiliis gratis diuinae opera, parata haberent, quae illi
 opponerent. Immo deinceps de iis quae in hacce cau-
 sa gesta erant, noua & non minus acris excitata est con-
 trouersia, vt fieri solet. Eam circa annum M DC XXX.
 ortami nonnulli perhibent, eo quod eo tempore
 non decessent, qui assererent, scientiam medium nullo in
 congregationibus de auxiliis, iudicio petitam esse. Con-
 trarium vero cum nonnulli in academia Salmanticensi,
 ex diario THOMAE DE LEMOS probarent, idque alii, spe-
 ciatim GUILIELMVS GIBIEVF, doctor Sorbonicus, in ope-
 re de libertate Dei & creaturae, confirmarent, tum
 Molinae lectatores, IOAN. MARTINESIVS DE RIPALDA,
 FRANCISCVS ANNATVS, aliquique, velut agmine facto, pro
 causa sua defendenda, arma expediuerunt, quibus ex al-
 tera parte VINCENTIVS BARONIVS, ANTONINVS REGINAL-
 DVIS, aliquique se opposuerunt acriter. Nec consopita
 penitus lis sequenti aetate fuit, immo acrius anno M
 DC XCVI in Gallia erupit, in hunc usque diem conti-
 nuanda. Cum enim, eo anno GABRIEL THIRIOVX,
 societatis Iesu theologus, publice asseruisset, Molinam
 ex hoc certamine per sententiam pontificis discessisse
 superiorem, aliquique ex eodem ordine exemplum eius
 secuti essent, CAROLVS MAVRITIVS LE TELLIER, archie-
 piscopus Remensis, edito anno M DC XCVII, ad academiam
 Remensem edicto, hanc petulantiam coercuit;
 cui tamen mox anonymous scriptum aliquod opposuit,
 vnde nouae hac super re lites. Auctae eadem sunt

liberali annua, & haec etiam anno per

per contentionem quae NATALI ALEXANDRO, Domini
canorum ordini adscripto, & ob varia ingenii monu-
menta haud incelebri, cum Iesuitis, speciatim GABRIE-
LE DANIELE, cuius itidem haud ignotum in orbe lite-
rato nomen est, intercessit. Cum enim NICOLAVS COL-
BERTVS, Rothomagensium archiepiscopus, in mandato
pastorali anno M DC XCVI, Alexandri theologiam do-
gmaticam & moralem suis commendasset, statim anonymus
aliquis scripto contra archiepiscopi mandatum edito,
supra viginti propositiones, ceu erroneas, in antea
memorato Alexandri opere, notare ausus est. Huic cum
ALEXANDER iterum scriptum aliquod opponeret, in quo
non tantum sententiam suam strenue defendit, sed ad-
versariis suis varia opinionum monstrata, de probabili-
tate, simonia, &c. exprobrouit, tum demum GABRIEL
DANIEL, in lucem anno M DC XCVII. prodiit, editisque
epistolis decem, profligata pridem societatis suae dogma-
ta incrustauit, nouisque coloribus pinxit, ac masculine
defendit. Mox autem anonymous, quem ipsum ALEXANDRVM
esse credunt, editis sex epistolis, societatis Ie-
su patribus inscriptis, ad DANIELIS epistolas respondit,
acriterque quae ab eo perperam dicta erant, refutauit;
cumque eodem tempore theses quasdam Iesuitarum
Lugdunensium, peculiari libello perstrinxisset, Galliae
rex vtrique parti, instinctu, vt ferunt, Iesuitarum, si-
lentium imposuit. Conquieuit tum NATALIS ALEXAN-
DER; at GABRIEL DANIEL, in praefatione nouae editio-
ni epistolarum suarum praemissa, victoriam sibi palam
asseruit, dubiam illam ei iterum reddente, & longe ali-
ter rerum gestarum seriem referente quodam Domi-

nicanis partibus addicto, in praefatione alia iisdem epistolis praemissa. * Haec itaque aliaque cum inter Iesuitas & Dominicanos agitarentur, tandem IAC. HTACINTHVS SERRIVS consultum esse existimauit, ordinis sui famam & existimationem, edita accurata congregationum de auxiliis gratiae diuinae, historia, vindicare: cuius rei cum percrebuisse fama, epistola quaedam gallico idiomate scripta Leodii prodiit, cuius auctor manuscriptorum codicum, aliorumque autorum, quorum in hac historia usus aliquis esse poterat, in dubium vocare fidem ausus est. Qua re tantum abest, ut ab instituto suo se deterreri passus sit SERRIVS, ut potius tandem sub nomine AVGUSTINI LE BLANC, historiam istam *congregationum de auxiliis gratiae, sub summis pontificibus Clemente VIII. & Paulo V.* libris quatuor comprehensam, in lucem emiserit, Louanii impressam; in cuius etiam praefatione codicium manuscriptorum, aliorumque auctorum, ad quos prouocauit, fidem, contra auctoris antea memorati obiectiones, afferuit. Vix autem lucem opus hocce adspicerat, cum varia schediasmata, ad illud vellicandum comparata, ab altera parte emitterentur. Mox enim liber sub titulo: *Quæstiones magni momenti, comparuit, Iesuitarum contra historiam congregationum de auxiliis, causam agens, cui tamen statim oppositus pro aduersa parte, aliis est: Historia congregationum de auxiliis iustificata, contra auctorem, quæstionum magni momenti, Louanii M DCC II.* Vterque Gal-

* de his omnibus vid. AVG. LE BLANC in *praefatione operis* saepè iam laudati p. 7. seqq.

gallicano idiomate scriptus. Sed nouus mox aduersarius prodiit, auctor libri : *Errata historiae congregationum de auxiliis, compositae per abbatem le Blanc, & ab inquisitione generali Hispaniae iam damnatae*, qui simul refutationem responsi, ad librum: *Quaestiones magii momenti*, subiunxit, Leodii anno M DCC II. Hisce aliisque leuioris momenti scriptis, cum causa ista agitur, tandem maiori adparatu instructus prodiit THEODORVS ELEVTHERIVS, quo nomine CONRADVM IANNIN-GYM Iesuitam tegi, iam antea obseruauimus. Is namque anno M DCC V. edidit *Historiac controuersiarum de diuinae gratiae auxiliis sub summis pontificibus Sixto V. Clemente VIII. & Paulo V.* libros sex, quibus demonstrantur ac refelluntur errores ac imposturae innumerae, quae in *historia congregationum de auxiliis*, edita sub nomine Augustini le Blanc, notatae sunt, & refutantur acta omnia, earundem congregationum, quae sub nomine F. Thomae de Lemos, prodierunt. Huic si credas titulo, iam triumphare videbatur Iesuitarum causa. At non defuerunt sibi Dominicanii. SERRIVS enim anno M DCC IX. historiam suam congregationum de auxiliis altera vice, auctam & ita instructam, ne nihil sibi responsum esse Iesuitae conqueri possent, edidit. Hoc vel titulus docet: *Historia congregationum de auxiliis diuinae gratiae, sub summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in quatuor libros distributa, & sub ascititio nomine Augustini le Blanc, Louanii primum publicata, nunc autem magna rerum accessione aucta, insertisque passim pro re natu, aduersus nuperas oppugnationes vindicationibus, asserta, defensa, illustrata; cui practerea accedit liber*

quintus, superiorum apologeticus, aduersus Thedori Eleutherii, eodem de argumento pseudo-historiam, auctore & defensore F. IACOBO HTACINTHO SERRIO, ordinis Praedicatorum doctore Sorbonico, & in serenissimae reipublicae Venetae academia Patauina theologo primario, Antwerpiae M DCC IX. fol. * Et haec quidem haec tenus inter Iesuitas, ac Dominicanos, hac de re disputata sunt.

§. XIX.

Nostrum equidem non est, istas componere lites; estque & nobis perinde, quam penes partem stet veritas, quamuis reuera penes neutram stet, utraque ad alterum extreum procurrente. Id negari nequit, Iesuitas veterum scholasticorum insistendo vestigiis, quos a doctrina Thomae de Aquino deflexisse, supra obseruauimus, in Pelagianorum haud obscure transire castra. Neque modo res ipsa hocce docet, sed subinde a Dominicanis, DOMINICO BANNESIO, ** DIDACO ALVAREZIO, *** aliisque illis fuit exprobratum. Immo in ipsis congregationibus de auxiliis gratiae, non semel hoc iis obiectum fuit. Quod vno alteroue condocere exemplo, nostri instituti postulat ratio. In Molinæ propositionem decimam quintam, quae ita se habet: *Non video praeter auxilium particulare gratiae praeuenientis, & concursum Dei generalem, necessarium esse auxilium aliud particolare gratiae, ut liberum arbitrium aliquem illorum actionum possit elicere (credendi scilicet, sperandi & poenitendi,*

* vid. IAC. BERNARDI nouelles de la republ. des lettres, M DCC X. mens. Ian. p. 4. seqq. ** in Thomam part. I. qu. XXXII. artic. III. *** de auxiliis gratiae disp. XCIX.

tendi, ut oportet.) Etenim illa tria, unam integrā
& sufficientem causam illorum completere videntur, ut disp.
praecedenti satis a nobis explicatum est. Quare esto,
Deus quodcumque aliud particulare auxilium denegaret,
ex illis solis sequeretur effectus &c. haec congregationis
extat censura: Cum Molina praeter gratiam praeuenientem,
sive excitantem, non requirat aliam potentiorem gra-
tiam, ad eliciendos actus supernaturales fidei, spei, &
poenitentiae, non videtur discedere a SEMITIS PELAGII,
quem eandem gratiam quam Molina ponit, concessisse
facile possumus colligere, ex lib. sancti Augustini de gra-
tia Christi, potissimum vero cap. 7. 10. & saepe alias
maxime cum Molina disp. 42. §. quoad primum, respectu
actuum deliveratorum, gratiam praeuenientem solum
constitutus, ad enchendos ad ordinem supernaturalem a-
ctus intellectus & voluntatis elicitos ex facultate naturae.
Immo confirmata deinceps fuit haec censura hunc in
modum: Censores in hac censura persisterentes, asserne-
runt, & propositionem xv. a Molina assertam, & esse
Pelagianam. Propositio vero Molinae decima octaua
haec erat: Si arbitrium nostrum ab efficacia aut ineffica-
cia auxiliū diuini habet, quod consentiat, aut non con-
sentiat Deo vocanti, & cooperetur, aut non cooperetur ad
salutem, perseueretque, aut non perseueret in gratia, cer-
te non ab innata & propria libertate id pendet, sed aqua-
litate auxiliū aut motionis diuinac; atque adeo neque est,
quod illi cedat in laudem & meritum, quia potius perire
omnino libertas arbitrii ad salutem &c. Hanc censores ita
perstringunt: Eadem argumentatione vrebantur Pelagiani,
ut videre est apud S. Augustinum lib. de corrept. & grat.
cap.

cap. 3. 4. & 6. quos ita in eodem libro S. doctor impugnat & expugnauit, ut rationem & argumentat ~~omnem~~, islam, quam Molina in sua sententia confirmare conatur, nullius prorsus momenti esse ostenderit, & propositionem ipsam tanquam diuinis oraculis contrariam efficaciter redarguerit. Denique cum in propositione decima nona Molina asseruisset: *Si Deus ita praedefiniuit omnes actus non malos arbitrii creati, ut ad eos mouere & determinare statuerit arbitrium per concursum ex se efficacem, sine quo arbitrium non potest eos elicere, manifeste periit arbitrii libertas explicata ad eos omnes actus &c.* censore hac de re ita pronuntiant: haec propositio prout intelligitur & asseritur a Molina, non videtur aliena a Pelagianorum & semi-Pelagianorum sententia, &c. Longe plura eiusdem generis addere possem, nisi haec satis euincerent, quo loco alii Romanae ecclesiae theologi Iesuitarum sententiam habeant. * Eo minus itaque nobis, quod ad progressum & fata Pelagianismi in ecclesia Romana haec referamus, vitio verti poterit. Interim illud adhuc obseruare iuuabit, ipso etiam Iesuita non satis inter se hac super re conuenire. Speciatim de ROBERTO BELLARMINO cardinali & Iesuita, in cuius opere, quod de controvrsiis scripsit, certroquin ecclesia Romana velut palladium aliquod sibi inuenisse vifa est, acriter disputatur. Eum initio eandem cum Dominicanis defendisse sententiam, postea autem cum societatis suae existimationem periclitari videret,

* conf. MELCHIOR LEIDECKRVS, bish. Iansenismi, part. II. lib. II. p. 326. seqq.

deret, mutasse mentem, saltem id p[re]se tulisse, & societatis suae strenue egisse causam, contendit AVGVSTINVS LE BLANC, qui tamen simul addit, opera Bellarmini interpolata esse ab iis, qui eidem societati addicti erant; * negante haec omnia & fortiter repugnante THEODORO ELEVTHERIO. ** At negari neutiquam potest, Bellarminum talia scripsisse, quae Molinae sententiae haud obscure repugnant. Sententiam enim de gratiae efficacia ex liberi arbitrii cooperatione suspensa ita perstringit: *Haec opinio aliena est omnino a sententia B. Augustini, & quantum ego existimo, a sententia etiam scripturarum diuinarum.* Idque cum variis rationibus adstruxisset, porro addit: *Haec opinio euerit omnino fundamenta praedestinationis diuinae, quam S. Augustinus ex diuinis literis solidissime comprobauit.* Nec tamen prorsus in Dominicanorum sententiam concescit, cum illorum, qui gratiam efficacem actionem Dei physicam esse, quae determinet voluntatem ad volendum bonum, opinionem, reprobet. Ab inconstantiae itaque suspicione absolui non poterit; quamquam nec abnuerim, scripta eius interpolata esse, cum quae AVGVSTINVS LE BLANC in medium attulit, vix quenquam hac de re dubitare sinant.

§. XX,

Vt autem Pelagianismus Iesuitarum a Dominicanis strenue impugnatus fuit, ita non segnius idem fecerunt

G

cerunt

* *bif. congregat. de aux. lib. I. cap. XIV. p. 98. it. lib. II. cap. I. p. 128. seqq.* ** *bifor. controvers. de gratiae diuinae auxiliis, lib. II. cap. XIX. p. 145. seqq.*

cerunt Iansenistae. Harum vero controversiarum origo
 vt rite constituatur, nonnulla de MICHAEL BAIO prae-
 mittenda sunt. Theologus is fuit Louaniensis, qui de-
 cimo sexto post Christum natum, seculo vixit,
 magnamque ob eruditionem singularem, celebritatem
 consecutus est. Missus idem a Philippo II. Hispaniae
 rege cum Cornelio Iansenio (dein episcopo Gandensi)
 & Iacobo Vesselio est ad concilium Tridentinum, vbi,
 si AVBERTO MIRAEO credimus, responsa eius velut ora-
 cula habebantur; tanta, inquit idem auctor, pollebat
doctrinae excellentia, ingenii acumine, & iudicii profun-
*ditate.** Hic cum magnus Augustini esset admirator,
 eius dogmata, in academia Louaniensi scholasticorum
 placitis opposuit, vnde largissima litium atque conten-
 tionum seges. Licet autem sua masculē asserta defen-
 deret, impedire tamen non potuit, quominus eadem a
 Romanis pontificibus damnarentur. Missus namque Lo-
 uanium fuit ROBERTVS BELLARMINVS Iesuita, qui rem-
 omnem accuratius inuestigaret, & aut componeret, aut
 ad Romanum pontificem deferret. Hic vero cum plu-
 rimas scholasticorum, etiam suas opiniones, vt Pelagia-
 nas perstringi a Baio audiuisset, non sine indignatione
 inde recessit. Statim itaque Romae expediebatur ful-
 men, a Pio v. pontifice in propositiones Baii LXXIX. an-
 no M D LXV. vibrandum, simulque nihil eorum inter-
 mittebatur, vt quae decreta erant, summo cum rigo-
 re executioni mandarentur. Gregorius praeterea XIII.
 ponti-

* in *elogiis Belg.* p. 56. add. MELCH. LEIDEKERVUS, *bifor. Iansen.*
lib. I. cap. XIII. p. 278. seqq.

pontifex eadem condemnationem anno M D LXXX confirmavit, idque operam dedit, ut in Belgio ab omnibus submissé reciperetur. Michael equidem Baius, amicorum suasu, apologiam conscripsit, in qua de facta sibi iniuria, menteque male intellecta conqueritur. Afferit inter alia, *quadraginta circiter articulos falso sibi impositos, de quibus nunquam cogitauerit.* Multos praeterea a collectoribus suis aemulis in alienum sensum detortos, ut inuidia laboraret. Interim, inquit, male me et iam habet, quod multi sibi persuadeant, omnes illos articulos, qui in bulla damnantur, esse falsos vel haereticos, cum aliqui falsi esse non possint. Ne quid autem auctoritati pontificis hac ratione denegare videatur, addit: Sed damnantur tantum, quia offensui sunt & scandalosi, seu odiosi. Sed quicquid diceret Baius, surdo narrabatur fabula. Decretum semel erat, in haereticorum eum referendum esse ordinem, decretum hoc mutari non poterat, quia Iesuitarum, ne mutaretur, intererat plurimum. Haec vero ideo commemorauimus, non quod Baianas sententias nostro adprobemus calculo, quem ad alterum extremum, quod Reformatorum est, discessisse, vltro largimur, sed ut Iesuitarum pro Pelagianismo conseruando & propugnando studium ostenderemus; quod ut ex hisce aperte satis elucescit, ita ex dicendis elucescat adhuc manifestius.

§. XXI,

Michælis Baii in eadem academia Louaniensi successor fuit CORNELIUS IANSENIVS, episcopus postea Ypresensis,

sis, qui & antecessoris sui vestigia strenue premens, Augustinianam de gratia & libero arbitrio diligenter excusat doctrinam, eamque Iesuitarum erroribus Pelagianis opposuit, erga quos etiam ceteroquin infenso fuisse animo perhibetur. Cum autem anno MDC XXXVIII. diem supremum obiisset, biennio post liber in quo conscribendo, exornando & poliendo, maximam vitae partem transegerat, sub *Augustini* nomine, curantibus Reginaldo Lamaeo, Liberto Fromondo, & Henrico Caleno, quos testamento exequendo praefeccerat, prodiit. Eo in opere ut summo studio, veram & genuinam Augustini mentem in lucem proferre elaborauerat, ita scholasticam theologiam, utpote ab Augustiniana doctrina dissentientem, ac fauente Pelagianismo, serio impugnat, Iesuitas cumprimis, Molinam, Suarezium, Eonsecam, Lessium, aliosque; acriter perstringens. Dum vero ita Augustini vestigiis insistit, ad alterum extremum, quod Reformatorum est, haud obscure inclinat. Idque ipse aliquando haud adeo diffiteri videtur, monens, * *non omnia quae haeretici docent esse haeretica, adeoque, si qua in re Caluinus cum Augustino & antiquis patribus senserit, propter Caluinum non esse indignandum Augustino, sed propter Augustinam potius esse gratulandum Caluinum.* Nihilosecius a Caluini se longissime abesse sententia profitetur, eiusque se admittere placita negat, haud dubio, ut inuidiam, quam inde in se deriuare poterat, euitaret. Reformatae certe ecclesiae doctores non dubitant, quin in suis castris Ypresis episcopus

* *Augustin. tom. III. lib. VIII. cap. XXI.*

militet, idque praeter alios ostendere nititur MELCHIOR LEIDEKKERVS * qui tamen in quibusdam Iansenium a Reformatis dissentire non negat.** Caluino Lutherum adiunxit IANSENIVS, ab huius non minus, quam illius opinione se alienum esse afferens; non aliam ob causam, quam ut vibratum a concilio Tridentino in Lutherum fulmen euitaret. Id dum & MELCHIOR LEIDEKLERVS *** refert, addit: *fatentur tamen aliqui, Caluenum cautius & prudentius Lutheru sensisse, nominatim Aluarez.* * At id frustra dici facile perspiciet, qui rem omnem paulo accuratius penitusauerit. Non enim eodem loco effata quaedam, quae in certamine alicui excidunt, habenda sunt, cum placitis, quae quis constanter & deliberato animi consilio defendit. Rectius se habent, quae idem subiungit: *At Lutherus Augustinianus cum esset monachus, a Ioanne Staupicio, viro egregio edocitus in sola Dei gratia & Christi vulneribus salutem quaerere, consensit Augustino in doctrina de arbitrii libertate, quamvis asperius loqueretur pro suo ingenio, ut non tam ad verba quam sensum animi sit attendendum.* Sed de Lutheru iam supra ex instituto dictum.

S. XXII.

Iansenii iste, de quo diximus, liber ut magno vibique exceptus est ad plausu, ita in academia cum primis Parisiensi defensores ac adprobatores inuenit plurimos. Nec defuerunt quibus displiceret; cumque editis scriptis variis, qui ab utraque parte stabant, in mutua certamina exardescerent, audita mox sunt Iansenistarum &

* bisfor. *Ians. part. II. lib. I. cap. XI.* ** *part. II. lib. II. cap. XII.*

*** *I. c. cap. XII.* * *de auxil. grat. disp. III.*

Molinistarum nomina. Et ad Molinistas quidem seu Iesuitas quod attinet, eminuerunt in hoc certamine. Isaacus Habertus, Antonius Richardus, Franciscus An-natus, Petrus de S. Ioseph, Philippus de S. Trinitate, Ripaldus, Brisacerius, aliquie. Ipse tandem theolo-gorum in academia Parisiensi ordo in Iesuitarum con-cessit partes, & instituta deliberatione, quinque illas famosas propositiones ex Iansenii opere excerptis, & ceu erroneas censura notauit: qua cum ad motus hosce consopiendos parum se proficere intelligeret, ad Ro-manum pontificem illas misit, petiitque, vt ab eo ceu haereticae damnarentur. Quid Romae actum sit, edis-ferere, longum nimis foret, & ab instituto alienum.* Observare satis fuerit, damnum tandem proscriptum-que Iansenii librum ab Urbano VIII. pontifice, pridie Nonarum Martii anno M DC XLI. hoc maxime praetextu, quod in eo propositiones nonnullae Michaelis Baii a Pio v. anno M D LXVII. damnatae, continerentur, quod ue sic contra edictum Gregorii XIII. pontificis, contro-versiae de auxiliis gratiae resuscitarentur. In iunctum, praeterea utrique parti silentium fuit, donec aliud quid hac in re a sede apostolica constitueretur. Huic pon-tificis sanctioni cum Belgae se submittere nollent, prius quam regis Hispaniae consensus ac auctoritas accessis-set, Urbanus anno M DC XLIV bullam denuo repetit ac confirmavit. Sed ne sic quidem, qui cum Iansenio facie-

* Legi ea possunt in libro qui Leodii M DC XCIX, sequenti titulo prodiit: *Histoire des cinq propositions de Iansenius*, cuius auctor DV MAS fertur, lib. I.

faciebant, ad silentium redigi potuerunt, praecipuis quibusdam Belgii episcopis causam illorum strenue defendentibus. Mortuo interea Urbano pontifice in locum eius successit Innocentius x. qui cum beneuolum, vt nonnulli tradunt, initio erga Iansenistarum legatos declarasset animum, mox tamen, missis in Belgium litteris, vt bulla antecessoris sui reciperetur, & promulgaretur, serio mandauit, immo ad sententiam Iansenii opprimendam, nihil fecit reliqui. Ea re induiti Iansenistae libellum obtulerunt pontifici, cui titulus erat: *Planctus veritatis Augustinianae in Belgio patientis*, in quo eum rogabant, vt, priusquam sententiae aduersus Iansenium latae subscribere cogerentur, de fide susciperetur disceptatio, neue tum demum de doctrina cognosceretur, cum auctor iam iudicatus atque damnatus esset. Sed ista locum non inuenerunt postulata, pontifice Iesuitarum artibus circumuento, & ad aures Iansenistarum precibus praebendam, minime prono. Immo cum maioribus vtriusque partis studiis ea res ageretur, & in acriora certamina erumperet, tandem pontifex edita promulgataque anno M DC LIII. bullam, quinque famosas illas anteaque memoratas Iansenii propositiones damnauit. * Iansenistis nondum acquiescentibus, solennis illa anno M DC LIII. instituta fuit cleri Gallicani congregatio, in qua, quo pacto dissentientes ad obsequium decreto pontificis praefundum, cogi possent, deliberatum. Sequenti anno, cum cleri delibe-

ratio-

* conf. IO. HENR. HEIDEGGERVS biss. pap. per. VII. S. CCXLV.
p. 379. 380.

rationes hactenus effectu caruissent, ANTONIVS ARNALDVS, qui principem ea aetate inter Iansenistas temebat locum, epistolam edidit, in qua censuram quidem pontificis in quinque istas propositiones approbavit, sed simul Iansenium talia docuisse, negauit, quippe cuius sententia a doctrina Augustini non differeret. Hanc Arnaldi epistolam facultas theologica Parisiensis non tantum censura notauit, sed ipsum etiam solenni decreto ex ordine suo exclusum voluit, lege condita, ut quotquot in istam facultatem reciperenrur, eidem decreto subscriberent. Simul vero in scenam tum prodiit BLASIVS PASCHALIS, sub nomine LVDOVICI MONTALTII latitans, qui laboranti & aduersariorum multitudine presso Arnaldo, suppetias tulit, editisque famosis illis *epistolis ad Provincialem*, ioco so quodam & amoeno scribendi genere, grauiiores illas spinosissimasque controuerbias temperauit; simul vero errores grauissimos Iesuitarum in doctrina morali detegendo & acriter perstrinendo, eosdem vehimeenter irritauit.

§. XXIII.

Interim anno M DC LVI. noua instituta fuit cleri Gallicani congregatio, cum mortuo anno praecedenti Innocentio X. in locum eius electus esset Fabius Chigiis sub Alexandri VII. nomine notus, in qua decretum de formula quadam, cui omnes sacri ordinis viri subscribere tenerentur, conditum, ut omnis elabendiriama Iansenistis obturaretur. Comprobatum & a rege ipso hocce decretum fuit, seuerissimeque sancitum, ne cui fas esset, subscriptionem istam detrectare. Nihilosecius

secius Iansenistae ut subscriptionem declinarent, omnem mouerunt lapidem, disputatumque ea de re acriter fuit inter Pauillonium, episcopum Aledensem, atque Antonium Arnaldum. Cum vero Iansenistae animaduertarent, in eo iam res suas esse statu, ut subscriptionem sine manifesto periculo declinare non possent, praesertim postquam Alexander VII. pontifex edita XVII. Kal. Nou. M DC LVII. bulla, Innocentii anathemata repetierat, & propositiones istas, de quibus controuertebarunt, in Iansenii opere extare definiuerat, ipsimet inter se de modo subscribendi disceptarunt. Atque haec in hac causa vsque ad annum M DC LXI. circiter, gesta sunt. Tentata tum fuit ratio lites hasce componendi, instituto inter Ferrerium Iesuitam & Iansenistas quosdam colloquio, cuius tamen is euentus fuit, vt in vehementiora acrioraque certamina exardescerent. In quibusdam equidem aduersariis suis aliquid concedere Iansenistae vili sunt, adeo vt Alexander VII. pontifex in litteris ad clericum Gallicanum innueret, Iansenistas quosdam bona fide se pontificum decretis submittere. Praeterquam autem quod Arnaldus ab his dissentiret, clero Gallico, ista, quam exhibuerant, declaratio, nondum sufficere vi fa est. Idem vero pontifex Alexander in eadem bulla, anti-Iansenistis auctor fuit, vt si Iansenistae conquiescere, pontificisque decretis se submittere nollent, regis auxilium implorarent, qui vi eos ad hoc compelleret. Qua facultate etiam strenue vii sunt. Nec tamen rursus Iansenistis, quod exciperent, deearat. Fatebantur, constitutum esse hacce bulla, vt decretis pontificum obedirent, neutri quam autem, vt formulae a clero Gallico concinnatae sub-

tae subscriberent. Rex itaque Galliae, vt tandem omnes elabendi vias Iansenistis eriperet, ad Alexandrum pontificem scripsit, petitiisque ab eo, vt ipse formulam, quam omnes probare necesse haberent, praescriberet. Factum id etiam in bulla ab eodem pontifice xv. Kal. Mart. m DC LXIV. edita. Sed ne sic quidem controuer- siis impositus finis est. Cum enim pontifex definire ausus esset, propositiones, de quibus controuertebar- tur, eo sensu, quo damnatae erant, in opere Iansenii extare, magna inde nouaque de pontificis Romani infallibilitate, aequali cum infallibilitate Christi, etiam extra concilium generale, in quaestionebus non iuris duntaxat, sed etiam facti, orta est controuersia. Hanc enim Iesuitae impudentissime afferre ausi sunt, re- nitentibus tum aliis, tum maxime Iansenistis. * Agitatae eodem tempore acriter inter vtramque par- tem sunt controuersiae de erroribus variis Iesuitarum, in doctrina morali, & aliae quaedam, quae ad caput causae non equidem faciebant, interim ad irritandos vtrinque magis magisque animos, erant comparatae. Iansenistarum cum primis causam egit PETRVS NICOLIVS, editis epistolis de *haeresi imaginaria*; qui & ad formu- lam a pontifice praescriptam, quod attinet, probare aggressus est, ipsis fidei principiis & reipublicae secu- ritati repugnare hanc sententiam, quae in factis quoque Romano pontifici supremum iudicium defert. Quicquid autem dicent Iansenistae, aduersarii eorum, vt omnes dissententes ad subscribendum formulae a pon- tifice

* vid. IO. HENR. HEIDEGGERVS, *bist. papatus*, per. II. §.
CC LXXXVII. seqq. p. 440. seqq.

tifice transmissae, cogerent, nihil faciebant reliqui, reluctantibus praeter alios episcopis quibusdam Galliae, Apamensi, Andegauensi, Bellouacensi, & Aletensi, qui decretum pontificis in suis eisdem dioecesibus publicabant, sed addebat, in rebus fidei parendum esse pontifici ex conscientia, in rebus facti, neminem eisdem ad hoc obligari, interim reuerentiam, quam omnes pontifici debeant, hoc exigere. Quod cum aegerime ferrent, qui ex altera parte stabant, nouae hinc maximaque iterum oriturae lites videbantur, nisi mortuo pontifice Alexandro VII. spes quaedam compendi lites hasce affulsiasset.

S. XXIV.

Nimirum cum in locum Alexandri anno M DC LXVI. Iulius Rospiugiosus, qui Clementis IX. nomen adsumpsit, substitutus esset, res eo tandem deducta est, ut quatuor antea memorati episcopi, edita soleani declaratione profiterentur, se cum voluntas potificis a clero Gallicano sibi indicaretur, non aliter id intellexisse, quam ac si pontifex in rebus fidei tantum obsequium a se exigeret. Qua declaratione cum pontifex contentus esset, subito lites omnes compositae, & pax ecclesiae Gallicanae redditiva videbatur. * Quae tamen quominus diu admodum duraret, penes ipsos Iansenistarum stetit aduersarios. Mox enim diuulgarunt, episcopos istos absolute formulae antea memoratae subscri-

H 2 pfisse,

* vid. *histoire abrégé de la paix de l' eglise*, §. II. seqq. it. relation de ce qui s' est passé dans l' affaire de la paix de l' Eglise sous le Pape Clement IX. cuius scripti summa exhibetur in act. erud. Lips. D DCC VII, mens. Jun. p. 244. seqq.

psisse, quod negabant Iansenistae; mox asseruerunt, episcopos istos fraudulenter egisse, ac simulasse, ac si cleri Gallicani decretum hoc modo intellexissent, cum tamen illis minime ignotum esse potuerit, in rebus fidei pariter ac facti, obsequium erga pontificem ab iis fuisse postulatum. Atque de hisce similibusque controuersiis acriter ex eo tempore, ad nostram vsque aetatem disputatum fuit, pontificibus subinde fulmina sua contra Iansenistas repetentibus. Namque & Alexander VIII. promulgato anno M DC XC. die XVII. Decembr. decreto, XXXII. propositiones Iansenistarum damnauit: quod cum qui a Iansenii partibus stabant, variis libellis perstringerent, ANTONIUS MARIA BONVCIUS, Iesuita, editis Romae, anno M DCC IV. *vindictis aequissimi decreti Alexandri VIII. P. M. aduersus propositiones XXXI. in eo damnatas*, defensionem eius suscepit. Contigit etiam, ut aequae ac Dominicani cum Iesuitis, a quaestzionibus ad doctrinam spectantibus, ad facta dilaberentur. Hinc cum anno M DC XCIX. DV MAS Iesuitis haud obscure fauens, Leodii Gallicano idiomate edidisset: *historiam quinque propositionum Iansenii*, mox anno sequenti ab altera parte illi oppositus est liber, eodem idiomate scriptus, cui titulus: *Pax Clementis IX. &c.* in quo varia ad hancce historiam spectantia monumenta continentur. Nec reliquae prorsus cessarunt disputationes; immo iterum resuscitatae sunt.* Cum enim Iansenistae, quantumuis hodiernus pontifex, Clemens XI. fancierat, vt omnes sacri ordinis homines, condemnationem Cornelii Iansenii subscriptione

* vid. *histoire du cas de conscience*, tom. I. p. 13. seqq.

ptione nominum ac iureiurando confirmarent, ac profiterentur, se iudicare interius, quod doctrina haeretica in Iansenii libro contineatur, * in eo persisterent, se etsi minime credere teneantur, propositiones istas famosas in opere Iansenii extare, eo quod pontifex, hoc ita se habere pronuntiasset, nihilosecius silentio se suam erga Romanam sedem testari venerationem velle, aduerfarii eorum & hanc strenue impugnarunt sententiam. Hos inter & FRANCISCVS FENELON DE SALIGNAC, archiepiscopus Cameracensis, ob fata sua in controuersia de amore puro, notissimus, eminuit. Is namque tum in aliis scriptis, tum maxime in *instructionibus*, quas vocat, *pastoralibus*, sententiam illorum, qui diserte Romani pontificis in quaestione facti, infallibilitatem asserunt, tutandam defendendamque suscepit, forte ut fauorem recuperaret, in priori quippe controuersia censura ab eo notatus. Hinc anonymous, opus tribus constans voluminibus, anno M DCC VII. eidem Gallicano idiomate oposuit, cui titulus: *injustificatio silentii venerabundi, siue responsio ad instructiones pastorales & alia scripta archiepiscopi Cameracensis*. Nec deerant sibi Iansenistae in iis, quae ad caput causae spectabant, vii nec rursus ex altera parte, qui iis responderent, deerant, quos inter non sine ratione nobis commemorandus est LESCVS CRONDERMVS, cuius *elucidatio Augustiniana de diuina gratia doctrinac, quae in libris Iansenii episcopi Ypresiensis*

H 3 tripli

* vid. liber cui titulus: *divers Ecrits touchant la signature du formulaire &c.* cuius summa exhibetur in *attis erudit. Lipsiens. M DCC VII. mens. April. p. 173.*

triplicem eclipsin passa est , in triplici statu humanae naturae , innocentis , corruptae & reparatae , Coloniae anno M DCC V. prodiit . Cum primis autem magnum circa initium huius seculi strepitum dedit , casus illius conscientiae , qui theologorum in academia Parisiensi ordini proponebatur . Cum enim quidam vir sacri ordinis , in Normannia , confessionario suo , mentem suam , super quinque propositionibus Iansenii , & eorum condemnatione exposuisset , quae eo redibat , secundum declarationem Innocentii XII. pontificis , se aliter existimare non posse , quam formulae contra Iansenistas praecriptae , illos etiam subscribere posse , qui crederent , propositiones istas in opere Iansenii non extare , confessionarius ille rem omnem ad ordinem theologorum in academia Parisiensi detulit ; ex quo cum quadraginta doctores , sententiam eius , qui formulae hac ratione subscribi posse , existimauerat , adprobassent , mox & ipsi in suspicionem Iansenismi adducti , & gravissimam subire vexationem coacti sunt . Qua de re , cum aliunde satis nota sit , * quicquam addere merito supercedemus .

§. XXV.

Recentissimis motibus , qui haec tenus Galliam turbarunt , & per orbem vniuersum haud exiguum strepitum excitarunt , occasionem dedit PASCHASIVS QUESNELLVS , Oratorii Berulliani presbyter Parisinus , Iansenistarum post Antonium Arnaldum facile princeps ; & tum

* vid. *histoire du cas de conscience signé par quarante docteurs de Sorbonne, à Nancy M DCC V. tom. III. 8°*

tum ob varia quae edidit ingenii monumenta, inter
 quae *dissertationes ecclesiasticae in Leonis magni opera*,
 haud ultimum locum tenent, tum ob fata quae subiit
 duriora, notissimus. Cum enim, ut inimicorum furo-
 ri cederet, e Gallia discessisset, Bruxellis iussu Galliae
 regis anno M DCC III. captus, atque in carcerem conie-
 tus est; ex quo tamen, amicorum ope eodem anno
 eualis, seque in Belgium federatum, ceu asylum ali-
 quod contulit, ab archiepiscopo tamen Mechliniensi,
 ceu Baiisimi & Iansenismireus, condemnandus & pro-
 scribendus. Quae obiecta Quesnellio fuerunt, intel-
 ligere licet ex *motu iuris pro procuratore curiae ecclesias-*
ticae Mechliniensis, iussu archiepiscopi, anno M DCC IV. e-
 dito; cui Quesnelli ad innocentiam suam tuendam an-
 no sequenti, *ideam uniuersalem motui iuris*, ceu prodromi
 prolixioris responsionis, opposuit. Nouum vero
 illud testamentum, ex quo recentissimi in Gallia mo-
 ratus orti, lingua Gallicana annotationibus moralibus
 illustratum, prima vice Quesnelli iam anno M DC LXXI.
 ediderat; quae editio tantum quatuor euangelistas com-
 pletebatur. Reliqui autem novi testamenti libri, ea-
 dem ratione illustrati, in altera editione, quae anno
 M DC LXXXVII. prodiit, accesserunt. Magno inter Ro-
 manenses ad plausu hocce opus receptum, hinc & sae-
 pius, at non semper sub eodem titulo, recusum. Li-
 cet etiam Quesnelli nomen non praeferret, eum tamen
 istius auctorem esse satis constat, nec ipsem diffitetur.
 Episcoporum praeterea quorundam, immo ipsius Sor-
 bonnae calculo & suffragio fuit comprobatum. Spe-
 ciatim Ludouicus de Noailles, archiepiscopus hodie

Pari-

Parisiensis, & Romanae ecclesiae cardinalis, edito anno M DC LXXXVII. cum adhuc episcopus Catalaunensis esset, mandato, illud commendauit, & in dioecesini suam introduci voluit; et si eam ob rem deinceps gravissimas subire molestias, coactus fuerit. Cum enim archiepiscopus iste atque cardinalis, societatis Iesu patribus iam ceteroquin parum gratus esset, cosque librorum quorundam ab ipsis compositorum proscriptione irritasset, hi eodem tempore, quo Quesnelliua ea, quae antea, exposuimus, fata, Bruxellis subiit, artibus consiliisque suis Aptensem episcopum permouerunt, ut edito anno M DCC III. mandato, Quesneliani noui testamenti lectionem in dioecesi sua interdiceret. Id eo pertinebat, ut ipsum praecepue archiepiscopum Parisiensem, in Iansenistri suspicionem adducerent, quippe a quo cum primis nouum hocce testamentum adprobatum, neminem fugiebat. Post aliquot annorum decursum, Aptensis episcopi exemplum eorundem Iefuitarum instinctu secuti sunt episcopi Lucinonensis ac Rupellensis, & ad prohibendam noui istius testamenti lectionem mandatum, cum ampla instructione pastorali ediderunt; nec in suis saltet dioecesibus promulgauunt, sed Parisiis in ipsius palatii archiepiscopalvis valuis id adfigi curarunt. Inde vero cum magnae turbae orientur, & Gapensis insuper, seu Vapincensis episcopus, itidem mandatum contra nouum illud testamentum ederet, tum demum Ludouicus Noaillius, ne sibi decesset, anno M DCC XI, mandatum in sua dioecesi promulgauit, quo lectionem mandatorum & instructionis pastoralis, episcoporum antea memoratorium, interdixit,

dixit. Quod cum plurimorum adplausu singulari exciperetur, Iesuitae, nouam inde indignationem animo concipientes, a Galliae rege artibus suis impetrarunt, ut rem omnem ad Clementem xi. Romanum pontificem deferret. Quod cum factum esset, post multas hac super re in congregationibus, quas vocant, sancti officii, institutas deliberationes, tandem die viii. Septembr. M DCC XIII. constitutio apostolica solenni bulla promulgata, in qua centum & vna propositiones, ex annotationibus moralibus Quesnellii in nouum testamentum, tanquam falsae, captiosae, male sonantes, piarum aurium offensuæ, perniciose, temerariae, ecclesiæ & eius præxi iniuriosæ, neque in ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi, contumeliosæ, impiæ, blasphemæ, suspectæ de haeresi, ac haeresin ipsam sapientes, nec non haereticis & haeresibus, ac etiam schismati fauentes, erroneæ, haeresi proximæ &c. damnabantur. Quantas vero haecce bulla in Gallia turbas excitauerit, Ludouico Noaillio cardinali, & aliis ex clero Gallicano eidem acriter se opponentibus, aliis autem eam recipiendam contendentibus; quot scriptis etiam, pro vtraque parte editis occasionem dederit, commemorare superseedemus, cum haec partim in recenti omnium memoria versentur, partim & ab aliis iam ex instituto sint exposita.*

I

§.XXVI.

* De his omnibus diligenter & accurate differit vir doctissimus GOTTLLOB FRIDERICVS IENICHEN, in *historia & examine bullæ anti-Quesnelliæ, &c.* qui & p. 56. seqq. scripta occasione bullæ huius edita indicat. Iungendus IO. FRICKVS, theologus celeberrimus, in *inclemencia Clementis examinata, dissert. I. cap. III. p. 44. seqq.*

Atque haec quidem, quae hactenus commemo-
ravimus Iansenistarum & Iesuitarum certamina, quae Pe-
lagianismi porro in Romana ecclesia fuerint fata, do-
nec tandem per bullam hodierni pontificis anti-Ques-
nelliannam palam adprobatus est, demonstrant. Enim
nemo licet nec Iansenii aut Iansenistarum, subinde in
doctrina de gratia, & iis, quae cum ea connexa sunt,
ad alterum extremum deflectentium, in omnibus ad-
probemus placita, in eo tamen minime vituperandi
sunt, quod Pelagianismo Iesuitarum tam strenue se
opposuerint. Et hunc etiam illis saepissime exprobra-
runt, nec sine ratione, etsi sine fructu, Iesuitis eo magis
ad errores suos defendendos, animum obfirmantibus.
Ostendunt hoc satis Iesuitarum dogmata, a Iansenio da-
minata & summo refutata studio, at a Iesuitis semper
defensa, ex quibus tantum quaedam, ad doctrinam de
gratia spectantia, speciminis loco adferemus:*

(1) *non dari gratiam quae sibi voluntatem subiiciat, quaeque vni datur, alteri negatur.* Hoc si de gratia irresistibili & ex absoluta praedestinatione proficidente, intelligetur, recte se haberet; at aliam Iesuitarum mentem esse, constat.

(2) *Talem gratiam destruere libertatem, supponere praecepta Dei hominibus impossibilia, facere manda- ta ad conuersiōnē frustanea, uti correptiones, natu- rae vires nimium deprimere, fatalemque inducere neces- sitatem, ergo falso eam statui.* Hic perperam Iesuitae liber-

* EX IANSENII *Augustino*, haec refert MELCH. LEIDEKKERVS, l. c.
part. II. l. II. c. II.

libertatem arbitrii in spiritualibus ante conversionem statuunt; perperam afferunt, praecepta Dei, homini etiam absque gratia esse possibilia; perperam statuunt, ac si homo seipsum conuertere possit, cum scripturae dicta, quibus conuersio praecepitur, ita intelligendasint, quod homo spiritui sancto eum conuersuro non debat resistere; perperam etiam afferunt, gratiam illam, fatalem inducere necessitatem, quippe quod de gratia resistibili, nullo modo afferi potest. (iii) Dari potius gratiam omnibus cum redemptione conditionata communem, sufficientem & libero arbitrio attemperatam. Quod Deus omnibus hominibus gratiam offerat certum; ut illud quoque certum, quod illi qui gratiae diuinæ resistunt, vel eam acceptare nolunt, sua culpa eius non siant participes. Ea vero gratia non sufficiens modo, sed & efficax est, si modo homines resistendo efficaciam eius non impedian. (iv) Illam modo esse adiutorium, sine quo fieri non possit salutaris conuersio. Et haec assertio mere Pelagiana est. Gratia enim hominem in conuersione non adiuuat saltem, ita ut homo seipsum conuertere possit, si modo gratia adiuvetur, sed omnia sola agit, homine in opere conuersonis mere passiue se habente. Cum enim homo ante conuersionem densissima caligine inuolutus sit, adeo ut σκότος tenebrae, dicatur, Ephes. V. 8. cum plane mortuus in peccatis dicatur, Eph. II. 1. Coloss. II. 13. manifestum est, quod nec se ipsum conuertere, nec ad sui conuersionem quidpiam conferre queat. Quare & theologi nostrates, voces auxilia gratiae apud scholasticos doctores receptissimas, cum de gratia operante,

hominemque conuertente, sermo est, rectissime re-
 pudiarunt. (v) Nempe dat peccatori posse, si velit, non
 vero, ut ipse velit, ne violetur libertas. Hic iterum Pe-
 lagianismus se prodit. In spiritualibus enim ante con-
 uersionem homo nullam habet libertatem, seruus quip-
 pe peccati. Rom. VI. 16. Ioan. VIII. 34. Non magis ita-
 que homo in conuersione negotio nō velle, quam nō
 posse habet, cum Deus sit, qui & velle & perficere in nobis
 operatur, iuxta effatum Pauli, Philipp. II. 13. (vi) Li-
 berum arbitrium ergo illam (gratiam) vel efficacem vel in-
 efficacem seu cassam suo consensu vel diffensu reddere pos-
 sedi atque actu etiam id praestare. Hic iterum cum
 Pelagianis liberum arbitrium homini ante conuersio-
 nem tribuitur. Licet autem homo gratiae diuinae ac
 spiritui sancto resistere possit, vt diserte Stephanus dicit
 Act. VII. 51. non tamen inde sequitur, quod ex suis vi-
 ribus consentire possit, quippe quod in hominem mor-
 tuum, & viribus omnibus destitutum, & qui non capit
 ea, quae sunt spiritus Dei, I. Cor. II. 14. non cadit. Ef-
 ficacia itaque gratiae neutiquam dependet a voluntate
 aut consensu hominis, cum gratia diuina in se ratio-
 ne potentiae spectata, semper sit efficax, et si homo
 resistendo, vel non admittendo hanc gratiam, in culpa
 sit, quominus haec gratiae efficacia actu in animo eius
 sese exerat. (vii) Quin expectare Deum nostrum vo-
 luntatem, ut conuersti velimus, quia gratia pendet a li-
 bero arbitrio, eiusque nutu & usu, causaliter praeante,
 ut insinuat. Hoc tam aperte Pelagianum est, vt ipse
 Pelagius mentem suam clarius exponere non potuisse.
 (viii) Hinc initium fidei, ipsumque credere, desiderare,
 orare

orare esse ab ipso homine. Si haec omnia ab ipso homine , ergo gratia nulla opus erit. Hinc ergo satis superque patet, ea, quae a Iansenistis impugnantur, Iesuitarum dogmata, iure meritoque Pelagianismi argui; atque dum haec per Iansenistarum condemnationem in ecclesia Romana adprobantur, rectissime dici, ipsum in eadem ecclesia triumphare Pelagianissimum. Ceterum , vt hoc $\omega\varsigma \dot{\epsilon}\nu \pi\alpha\zeta\delta\vartheta\omega$ moneamus , licet Iansenistae, & Dominicani in eo conueniant, quod Iesuitarum doctrinam Pelagianismi arguant; non tamen ipsimet in omnibus inter se consentiunt. Nempe vt reliqua taceam, praedeterminationem physicam Dominicanorum ipsem et IANSENIUS acriter impugnat , quod MELCHIOR LEIDEKERVS * equidem , vna cum aliis quibusdam doctrinae Iansenianae capitibus, inter errores Ianseñii refert; sed non aliam ob causam, quam quod in hisce ab erroribus Reformatorum se alienum demonstrat. Cum enim per physicam praedeterminationem tales gratiae operationem intelligent , per quam omnis resistendi vis homini adimitur , & secundum quam res omnis ad absolutum aliquod Dei decretum reddit, non potest non haec sententia vt erronea & cum scriptura sacra aperte pugnans reiici , quemadmodum & iampridem reiecta a nostris theologis est, atque proscripta.

§. XXVII.

Ita ergo cum Iesuitarum doctrina comparata sit, vt Pelagianismo aperte faueat, fieri aliter non potest,

* l. c. part. II. lib. II. cap. XII. p. 388.

si Iansenistarum ita damnentur placita , vt Iesuitarum ,
 quos impugnant , errores simul adprobentur , quam vt
 simul Pelagiana stabiliatur haeresis . Atque id cum ,
 bulla Clementis xi . contra nouum testamentum Ques-
 nelli promulgata faciat , res ipsa profecto docet , quod
 per eam Pelagianismus in Romana hodie ecclesia trium-
 phet . Sunt equidem propositiones istae non vnius ge-
 neric . In quibusdam enim gratia ita efficax , vt illi re-
 fisi nequeat , asseritur : in quibus vt auctor vna cum
 Iansenio , & reliquis Iansenistis , haud obscure in Prae-
 destinatianorum & Io . Caluini , eiusque discipulorum
 castra transit , ita iure meritoque eas damnatas , luben-
 tes fatemur . Spectat hoc propositio decima : *gratia*
est operatio manus omnipotentis Dei , quam NIHIL IMPE-
DIRE potest , aut retardare ; item propositio vndeclima :
gratia non est aliud , quam voluntas omnipotentis Dei ,
subuentis & facientis quod iubet . Eiusdem generis &
 sequentes propositiones sunt vsque ad xxv . & aliae
 quaedam . Enimuero , vt scriptura sacra hominis con-
 uersionem vnice gratiae diuinae tribuit , ita non minus ,
 vt supra obseruatim , diserte docet , penes solos homines
 stare , quominus in omnibus gratiae huius efficacia se-
 exerat . Sic cum Christus incolas Hierosolymae , o-
 mnesque in vniuersum Iudeeos , congregare vellet , vt
 gallina pullos suos , *ipfi tamen noblebant , Matth . XXIII.*
 37 . Stephanus quoque de duritate Iudeorum sui tem-
 poris conquerens , *vos , inquit , semper resistitis spiritui*
sancto , sicuti & patres vestri . Actor . VII . 51 . Si resistere
 spiritui sancto homines possunt , ergo non conuertun-
 tur per talem gratiae vim , cui refisi nequeat . *Ipsa*
iterum

iterum seruator, causam indicaturus, cur non omnes homines credant, & saluentur, eam non penes Deum, sed penes homines esse docet, dum *haec est, autem,* inquit, *damnatio, quod cum venerit in mundum lux, tenebras magis quam lucem amauerint homines, Io. III.* 19. Lux scilicet illa est ipse seruator, qui per verbum suum omnes homines vult collustrare, & ad aeternam vitam perducere: sed quominus omnes collustrentur, causa est, quia homines tenebras magis amant, quam lucem, adeoque lucem gratiamque diuinam repudiant & admittere nolunt. Recte itaque haec de gratia irresistibili, sententia, damnata est a pontifice. Annon vero hoc ipso sententia tum ipsius AVGVSTINI, haud obscure ad alterum hocce extreum, dum Pelagianismum cuitare studet, accedentis, tum maxime Dominicanorum, praedeterminationem physicam eo modo defendentium, ut re ipsa cum Caluini asseclis consentiant, damnata & proscripta sit, iudicent, quorum interest, & Hipponeſium praefulem, & Dominicanorum ordinis adscriptos, a fulmine hocce intactos seruari. Seruari non posse, res puto ipsa, aperte ostendit. Quod vero ad illas propositiones, quae hominem sibi relatum, nec gratiae viribus instructum, nihil in spiritualibus efficere posse, afferunt, attinet, de illis aliter censendum. Id vero est, quod in prima statim propositione a pontifice damnata, innuitur: *Quid aliud remanet animae, quae Deum atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem (spiritualem) ad orationem, & ad omne opus bonum.*

Et sa-

Et sane , cum omne *figmentum cordis* humani tantum
malum sit omni die , *Gen. VI. 5.* cum homo ψυχὴς
 non percipiat ea, quae sunt spiritus Dei , imo cum illi
 sint stultitia , nec possit ea cognoscere , *I. Cor. II. 14.*
 cum mortuus sit in peccatis, & tenebris velut immer-
 sus, quis dubitet , quin in hocce statu spectatus ad ora-
 tionem , & queuis spiritualia non magis aptus sit,
 quam homo mortuus ad loquendum , aut coecus ad vi-
 dendum , vel vtroque pede orbatus , ad ambulandum ?
 Nullae ergo si homini sibi relicto in spiritualibus vires
 sunt , sequitur, quod & gratia Christi ceu principio
 omnis boni , illi opus sit. Atque hoc sibi vult secunda
 propositio : *Iesu Christi gratia principium efficax boni*
cuiuscunque generis necessaria est, ad omne opus bonum;
absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest. Quis
 vero hac de re dubitaret? Hoc idem totidem fere ver-
 bis seruator docet , *Ioan. XV. 5.* *Sine me nihil potestis*
facere. Quod & Paulus confirmat : *non quia per nos*
ipsos simus idonei, qui aliquid, ut per nos ipsos vel cogi-
temus, sed quod idonei sumus, id a Deo est. *II. Cor. III.*
5. Quae vero impudentia , propositiones , quae tam
 clare , tamque perspicue in sacris literis continentur ,
 ceu falsas, atque haereticas condemnare ! Nec magis,
 quod reprehendi debeat, in tertia propositione inuenio:
in vanum Domine praecipis, se tu ipse non das, quod
praecipis. Recte scilicet , iuxta scripturae sacrae du-
 ctum hoc est intelligendum. Enimvero quaecunque
 christianis praecipiuntur , officia , quibus fidem suam
 demonstrant, in vanum illis praeciperentur , nisi spiri-
 tus sanctus sua gratia in illis fidem , & per fidem amo-
 rem

rem, ceteraque officia operaretur. Suis vero tantum viribus, non magis officia, quae iis praescripta sunt, rite praestare, quam credere, aut fidem sibi ipsis largiri possunt. Immo ipsius Dei opus sunt, conditi in Christo Iesu ad recte facta, Ephes. II. 20. adeoque nisi per Christum ad hoc conditi essent, & ex eius gratia vires accepissent, praestare quoque ea non possent, quae illis praecipiuntur. Idem censendum de quarta propositione: *Ita. Domine; omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.* Ecquid enim aliud hic dicitur, quam quod Paulus, Pbil. IV. 13. dixit; *Omnia possum per eum, qui me corroborat, Christum?* Nona propositio quam pontifex damnauit, haec est: *gratia Christi, est gratia suprema, sine qua confiteri Christum, nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.* Hoc iterum, si recte intelligatur, nihil aliud est, quam quod Paulus dixit, *neminem esse, qui Iesum posset dicere dominum, nisi per spiritum sanctum,* I. Cor. XII. 3. Rursus, in propositione trigesima nona dicitur: *Voluntas, quam gratia non praeuenerit, nihil habet luminis. nisi ad aberrandum; virium, nisi ad se vulnerandum, est capax omnis mali, & incapax omnis boni.* Hoc vel experientia omnes condocere poterat. Ecquid veri luminis ab iis expectes, qui sunt *cautos, tenebrae,* Ephes. V. 8. & de quibus verissimum, quod propheta dixit: *Omnes nos quasi oves errauimus, unusquisque in viam suam declinavit,* Ef. LIII. 6. Et quid boni ratione voluntatis ab iis expectes, de quibus diuinus spiritus pronuntiauit: *non est iustus, ne unus quidem: non est qui sapiat, non est, qui Deo studeat; omnes pariter deflent,*

Etunt, nequamque sunt; non est, qui recte faciat; non
 est, ne unus quidem, Psalm. XIV.3. LIII.4. Rom. III.10.
 II. Non magis vituperari potest, quod in sequenti
 propositione quadragesima dicitur: *Sine gratia nihil
 amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.* Cum
 enim in homine sibi relicto, gratiaeque viribus desti-
 tuto, philautia prava fons & radix omnium motuum,
 affectuum, operationum sit, manifestum est, quod
 nihil recte amet, adeoque & nihil amet, nisi ad sui
 condemnationem. Se ipsum enim supra Deum amat;
 immo dum seipsum, & sui causa, quae in mundo sunt,
 prauasque cupiditates irritare possunt, amat, Deum.
 prorsus amare nequit. *Si quis enim diligit mundum,*
in eo non est charitas patris, I. Ioan. II. 15. Eiusdem
 fere generis etiam sunt propositio *XLI. XLII. XLIV.*
XLVIII. LIX. & aliae quaedam. Quae omnia si sum-
 matim capiantur, huc tandem redibunt, hominem,
 gratiae diuinae viribus destitutum, nec seipsum conuer-
 tere, nec opus aliquod bonum peragere aut inchoare
 posse, minimeque ad haec omnia idoneum esse, cum
 promptissimus contra paratissimusque sit ad omne malum.
 Atque haec quidem doctrina, vt longe est ve-
 rissima, scripturae quippe sacrae testimoniis euidentissi-
 mis superstructa, ita qui eam damnat, non potest non
 gratiam diuinam tollere, eiusque inficias ire necessita-
 tem; quod Pelagium cum alleclis suis fecisse, constat.
 Hoc namque praecipuum haereseos Pelagianae caput
 erat, quod sublata gratia, libero hominis arbitrio
 omnia tribueret. Ita breuiter rem omnem exprimit

HIE-

HIERONYMVS: * liberi arbitrii potestate subnixus, despiciit auxilium conditoris, & in sua voluntate securus est. Licet vero Pelagius obiurgatus, quod gratiam non agnosceret, hac voce deinceps vti coeperit, id tamen ad fucum saltem faciendum pertinuit; cum ea voce nihil aliud, quam possibilitatem non peccandi, quam homo ex libero arbitrio habeat, intelligeret, vt praeter alios AVGVSTINVS ** docet. Deinceps etiam patrum recte sentientium argumentis adactus, naturali gratiae supernaturalem addidit, sed solum externam, quam in doctrina legis collocabat. Hoc iterum praeter alios AVGVSTINVS docet. *** Fraeter naturalem hanc, itemque externam gratiam, aliam euidem adhuc statuit, qua peccata ignoscantur: at eam non omnibus necessariam putavit, quia non omnes delinquerent, aut saltem absque delicto vitam transfigere possent, aut si delinquissent, naturae viribus poenitentiam agere, naturamque suam instaurare possent. Immo ulterius progressus est, & praeter hactenus memoratas gratiae species, gratiam etiam Christi afferuit, at hanc in eo constituit, quod Christus exemplo bono nobis profuerit. Gratiam Christi, inquit AVGVSTINVS, * constituit (Pelagius) non in virtutis eius auxilio, sed imitationis exemplo. Tandem, vtcumque virtutis diuinae auxilium intus per spiritum sanctum in homine operantis fateri coepit; sed illud in sola illuminatione collocabat: erro-

* lib. II. dialogor. adu. Pelag. p. 293. ** lib. de gestis Palaestinis, cap. X. *** lib. I. de grat. Christi, contra Pelag. & Coelest. cap. III. * l. c. cap. XL.

remque adeo capitalem, quo ipsam voluntatem per Numinis operationem ad bona quaevis flecti negabat, semper & constanter retinuit; quod, prolatis in medium veterum testimoniiis, luculenter ostendit GERHARDVS IO. ANNES VOSSIVS. * Ex hocce autem fonte, reliqui fluebant Pelagii errores; tantum scilicet abesse, vt gratia ad actus bonos requiratur, vt homo viribus ex creatione sibi insitis, legem integrum implere possit; adeoque & hominem sibi relictum, gratiaeque viribus destitutum, Deum super omnia posse diligere; & quae reliqua erant eiusdem generis, ab eodem quem iam laudauimus, auctore, copiosius exposita. ** Haec si cum propositionibus, a Clemente XI. pontifice damnatis, anteaque memoratis, conferantur, statim patescet, pontificem propositiones hisce erroribus oppositas damnando, non posse non ipsos hosce adprobare errores, si qua adeo bulla effecisse, vt Pelagianismus merito in ecclesia Romana triumphare dicatur. Potuissent & multa alia adhuc moneri, tum ad hanc ipsam doctrinam de gratia, tum ad quaestiones de libero arbitrio, & reliquas cum hisce coniunctas, spectantia, sed cum nostri instituti hoc non postulet, nec permittat ratio, & praeterea triumviri isti supra laudati, IO. VVOLFGANGVS IAEGERVVS, IO. FRICKIVS, & GOTTLLOB FRIDERICVS IENICHEN, in commentationibus iam commemoratis, & exquisita eruditione refertis, cuncta iam exhauserint, pedem hic figere fas fuerit.

* bish. Pelag. lib. III. part. II. thes. I. seqq. ** l. c.

S. D. G.

CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE IVVENI

IO. FRID. ERCKENBRE-
CHERO

BONARVM ARTIVM MAGISTRO DIGNISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S.

CVm ad me accederes, doctissi-
me ERCKENBRECHERE, mentem-
que de specimine studiorum Tuo-
rum academico edendo, aperires,
statim succurrebat, quae tantum
in orbe strepitum dedit, bulla ho-
dierni pontificis anti-Quesnellia-
na. Etsi enim me non latebat, viros
ex nostratis longe doctissimos,

K 3

primi-

¶ (°) ¶

primique ordinis theologos , in
ea examinanda , & discutienda
operam studiumque collocasse ,
verique & falsi discrimen luculen-
tissime ostendisse , quorum etiam
commentationes , cineres haud-
quaquam quaerentes , in ipsa dis-
sertatione laudatae : hoc tamen
superesse putaui , vt Pelagianismi ,
per bullam istam pontificis in ec-
clesia Romana triumphantis ,
in eadem ecclesia ortus , pro-
gressus , fata , iusta serie ordi-
neque concinno , describerentur .
Id enim , hac quidem ratione ab
alio quodam factum , mihi non
constat . Auctor itaque suasorque
Tibi


¶ () ¶

Tibi extiti, ut ingenii in tam nobili argumento periclitareris vires,
ex cuius quippe pertractatione non poterat non amplissimus &
ad Te ipsum, & ad alios redundare fructus. Et Tu quidem,,
quae Tuarum erant partium , a
me, vbi res id postulare videbatur , vtcunque adiutus, peregisti
strenue, viresque ingenii pariter
ac industriam, & quos in litterarum studiis fecisti progressus ,
publico hocce specimine demonstrasti. Quo ipso vt aliis, quod
imitentur , relinquis exemplum,
ita Tibi, optime ERCKENBRECHERE
hoc nomine ex animo gratulor,

Deum-

¶ () ¶

Deumque ut omnia , quae ad
ipsius gloriam, ecclesiaeque com-
modum porro suscepturus es,
prospere & ex animi sententia
tibi fluere iubeat, precor. Ienae
die VII. Nou. M DCC XIV.



FK 4173

X 2366388

Ms.





Q. D. B. V.
PELAGIANISMVM
IN ECCLESIA ROMANA
 PER BVLLAM ANTI-QVESNELLIANAM
 DIE VIII SEPTEMBR. A. M D CC XIII
 A CLEMENTE XI. R. P. PROMVLGATAM
 TRIVMPHANTEM
 RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
 SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
 DOMINO
GVLIELMO HENRICO
 DVCE SAXONIAE, IULIAE, CLIVIAE AC MONTIVM, ANGA-
 RIAE ET WESTPHALIAE, RELIQUA
 PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO
 TH. D. ET P. P. O.
 SERENISSIMO DVCI SAXO-HILDEBURGHVSANO A CONSILIIS ECCLESIASTICIS
 CIVIVMQVE GOTHANAE AC ALTENBURGENSIS DITIONIS IN ACA-
 DEMIA IENENSI INSPECTORE
 PATRONO, FAVTORE AC PRAECEPTORE, AETERNUM COLEND^O
 DISSERTATIONE HISTORICO-THEOLOGICA
 EXHIBET, EAMQVE
 DIE I. DECEMBR. C^o 10 CC XIV
 ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIET
 AVTOR RESPONSVRVS.
M. IO. FRID. ERCKENBRECHER,
 MEININGENSIS.

IENAE
TYPIS MULLERIANIS.

X. 1888. Vol. II. Co.